

כנ"ה
In

CAPITIS XXVI. S. MATTHÆI

Commata priora XXX,

Disputatio Exegetica,

Sub

PRÆSIDIO

VIRI

Summè Reverendi, Magnifici atq; Excellentissimi,

DNI ABRAHAMI CALOVII,

Theologi meritis in Ecclesiam orthodoxam illustris, Prof. P.

Primarii, Circuli Electoralis Saxonie Superintendentis Generalis,

& Synedrii Ecclesiastici Adsesoris longè

gravissimi,

Domini Patroni, ac Promotoris sui æternùm

colendi,

publicè ventilationi exhibitæ.

à

M. GEORGIO CASPARI,

Sebnitio Misnico,

Schildaviensium vocato Pastore

ad diem IX. Maji

A. O. R. cl^o scilicet LXXII.

Loco & horis consuetis.

WITTEBERGÆ,

Literis Michaelis Meyeri.

29.

CAPITULI XXV. S. MATTHEI

Commissaria priora XXV

Disputationes Exegeticæ

Sub

PARASIDIO

VIRI

Summi Reverendi, Magnifici, Excellentissimi

DNI ABRAHAMI CALOVII

Theologi merito in Ecclesiam orthodoxam illustris, Prof. P.

Primum, Circuli Electoralis Saxonie superintendens Generalis

& Synedrj Ecclesiæ Adelensis honor

gravidiss.

Domini Patroni, ac Promotoris hæc actus

colendi

publicè ventilationi exhibita

M. GEORGIO CASPARI

Schænicæ Mitisæ

Schibavienensis vocato, hacten

ad huc IX. Mæj

in O. R. ch. h. h. h.

in loco O. R. h. h. h.

1717-1718-1719-1720-1721-1722-1723-1724-1725

WITTEBERGÆ

Liberis Michaelis Meyer

59.

ILLUSTRISSIMO DOMINO,
DNO CAROLO,
LIB. BARONI à FRIESEN,
in Rōtha/Rottau/Boßwitz/ꝛc.
DYNASTÆ,
SERENISSIMI POTENTISSIMIQVE
SAXONIÆ ELECTORIS
CONSILIARIO INTIMO,
SUPREMI CONSISTORII PRÆSIDI
EMINENTISSIMO,
ET
COMITI CUBICULARIO,
DOMINO MEO GRATIOSISSIMO.

ILLUSTRISSIMO DOMINO,
DNO NICOLAO

â GÖRSDORF,

in Baruth / Bröttenigk / Hausz=
walda & Rackel

TOPARCHÆ,

SERENISSIMI POTENTISSIMIOQUE
SAXONIÆ ELECTORIS

SANCTIORE IN CONSILIO,

SENATORI EXCELLENTISSIMO,

ET

COMITI CUBICULARIO,

DOMINO MEO GRATIOSISSIMO,

ET

POST BENIGNISSIMUM NUMEN,

E V E R G E T Æ

UNICO,

OPTIMO,

MAXIMO,

EJUSDEMQUE
CONJUGI,
ILLUSTRISSIMÆ DOMINÆ,
DN. HENRIETTÆ
CATHARINÆ,
LIBERÆ BARONISSÆ
à FRIESEN,
HEROINÆ,
SEXUM SUUM GLORIA LITE-
RARUM
SUPERGRESSÆ AD MIRA-
CULUM,
DOMINÆ MEÆ GRATIOSISSIMÆ

DEBITÆ DEVOTÆ QVE
GRATITUDINIS

ET

SUBMISSI OBSEQVH

TESTANDI ERGO

HANC DISPUTATIONEM THEOLO-
GICAM

CUM VOTO DEVOTO

SOLIDI GLORIÆ PERENNANTIS
INCREMENTI

ET

CONSUMMATÆ PROSPERITATIS

HUMILLIME

OFFERO

M. Georgius Caspari.



*Umme metrarogas, CASPARI, car-
mine quo te*

*Prosequar? aut dignis numeris
maetabo laborem?*

*Si pietas, si docta potest industria laudi
Esse, quid hoc specimen Tibi non insigne parabit?
Urge propositum, & claris conatibus insta!
Surget honos tantis dignus sudoribus olim.*

*Reverendo & Clariss. DN. M. RESP. Ecclesiae Schild. Pastori
designato, defestinat. salutem
omnigenam apprecatus*

*GEORG. CASP. KIROHMAJER, P. P.
h. r. Acad. Rector.*



Reverendo, & Clarissimo

DN. M. GEORGIO CASPARI,

Schildaviensium Pastori vocato

Gratulatur

ABRAHAM CALOVIUS D.

UNica quæ Nostræ Medicina parata saluti,
Vulneribus nostris emplastrum; PASSIO CHRISTI,

Quæ

Qvā solā spes nostra, Fides & nostra triumphat,
Gaudia qvæ nostris vera, atq; perennia sola
Cordibus adduxit, nunquam non corde fovenda est.
Qvum præter nulla est Orbi Sapientia, nulla
Justitia est fidei, Sanctorum gloria nulla;
Angelici cætus, Electorumq; voluptas
Unica, quid? TRIADOS SACROSANCTÆ Gaudium,
Amorq;ve.

Hanc Cathedræ publicæ sistis, studiisq; sacratis
Et proram facis, & puppim, CASPARE, dicatus
CHRISTO, ejusq; gregi. Præclarè! Gratulor inde.
Sit Doctrina, precor, Tua, CHRISTI SANGVINEful-
gens,
Ecclesiæ Medicina, DEO fiet hostia grata,
Serpenti Stygio virus! Solatia viva
Sufficiat mæltis animabus, lætitiãq;ve
Cælestem! Tibi sit, CHRISTO donante, Corona!
PASSIO sic CHRISTI sit jugitèr ACTIO Nostra.
Hoc opus, hic labor est, seculo præsentè, futuro,
Lætis TE, JESU, Labiis, & pectore læto
Glorificare; Canat sic nostrum quisq; triumphans:
AGNO LAUS, HONOR, ET VIRTUS, ET GLORIA
SOLI!



*Te vocat ex alto cælestis gratia, curam
Qvò sacri cætus per vigil ipse geras.
Ergò paras dignum tanto Te munere, doctis
Ostendens animi munera pulchra Tui.*

Qui

*Qui dedit officium, CASPARI, roboramentis
Augeat, Ecclesiae ut fenora larga feras.*

JOHANNES ANDREAS QVENSTEDT,
D. P. P.



*P*assio quæ Christi, dat nobis gaudia plena,
Gaudia quæ vitiis pharmaca certa ferunt.

*Christus pro nobis passus, qui causa salutis
Dicitur, & major gloria nulla datur.*

Ausibus hæc sacris tractas, REVERENDE MAGISTER,
Atq; sacrum Munus sic pietate subis.

Perge, tuum Munus Patientis amore coronans,
Faustos successus passio tanta feret!

*Reverendo Dno Candidato hæc felicioris
omnis ergo s.*

JOHANNES Deutschmann / D.



*Ad Per-reverendum Clarissimumq;
DN. AUCTOREM:*

*D*ivitis ingenii quando abdita sensa reclu-
dis,

*CASPARE, Aonii portio grata chori,
Gratulor, atq; polo tot mentes, opto, lucreris,
Quot Tibi literulis nobile constat opus,*

CHRISTIANUS Nöhrensee / P. P.

B

Quod

Quod Tibi, **CASPARI**, Doctrina, Mode-
stia, Candor

Et Pietas munus promerere sacrum,
Hoc Te presenti dignum conamine monstras;
Cedant in laudem, quae facis, opto, tuam.

Amico suo veteri dare
voluit

CONRAD SAMUEL SCHURTZFLEISCH,
P.P. Extraordinarius.



Per-reverendo Clarissimoq;

DNO. M. CASPARI,

Sacri Ministerii, Candidato dignissimo,
Amico suo probatissimo, idq;ve
charissimo:

Quæ TIBI vota feram, **CASPARI**, clara Lycæi
Pars, nec non cordis portio chara mei?

Castaliis nudis pia Pallas ora rigavit,
Eusebie instruxit pectora, sacra DEO:

**HEROS ILLUSTRIS GERSDORFIUS, RELI-
CTORUM
PRONIS SUSCEPTOR, PRÆSIDIUM QVE
MEUM**

Excepit facili vulu Tua munera mentis,
Miratus largas sedalitatis opes.

Num

Nunc Sponsæ Pastor cœlestis ritè vocatus,
Dotes ingenii Leucori voce probas.
Gratulor eximiosânctis, SPARTAMQVE PATENTEM!
Ecce! Tuis studiis præmia digna manent.

prolixiori animo ac venâ

f.


SIMON FRIDER. FRENZELIUS.
Facult. Philos. Adj.



Nobilitat persona locum: nec præditus altâ
Mente Cato curat, quâ modò sede sedet.
Ritè capessenda est, fuerit sî commoda sedes,
Apta sat est, cui nos alligat ipse DEUS.
En Tibi SCHILDAVIAM sedem nunc destinat alium
Numen. Quid dubites fata, COLENDE, sequi.
Et rectè sequeris. Conatibus addito sacris,
Jova, tuos auctus. Sic benè cedet opus.
Intereâ Te ritè paras, certamine sacro
Dum subiens Spartam verba diserta seris.
Mahest novâ virtute, Tibi nunc Carmine plaudis
EUSEBIE atq; Tui vox veneranda Gregis.

Ita Reverend. atq;
CL. DN. AFFINI SVO
conciavit

M. JOHANNES CLODIUS
Fac. Pbil. Adj.



Qui jam conscendis multâ cum laude cathedram,
Proponens nostræ dogmata sacra Scholæ,
Mox quoq; suggestum scandes, populamq; docebis,
Qui pulcrum à Christo Principe nomen habet;

Sci-

Scilicet has partes, cœlesti Numine dante,
Injunxit nuper Saxonis Aula Tibi.
Applando, &c, quod jam dixi, Tibi grator utrumq;
Præsens conatus profit & officium!

Quod gratulab. de prop.

M. AUGUSTUS SEÑUZZI
SS. Theol. Stud.



Vulgaris, sed vera tamen sententia dicitur:
Fidentem nescit deseruisse DEus.
Nec, si forte moras necet, nocuisse putandum,
Nam pensat tardas cum bonitate moras.
Id jam confirmat, (nam nolo antiqua referre,)
Nobis exemplum, Fautor amande, Tuum.
Nam quoniam, quamvis Tibi tempora lenta mearent,
Cœlesti fretus Numine semper eras,
Confusus Domino, confusus abire nequisti,
Commisitq; Tibi munera magna DEus.
Quorum principium præsens dum cura laborq;
Pandit, fausta Tibi terq; quaterq; precor.

*Fautori optimo honoratissimoq;
scribeb.*

M. JOHANNES Müller.



Quod gratulab. de prop.



I. N. J.

THESIS I.

Summarium Thematicis.



Iduô ante Pascha, Dominus, cum prædixisset excidium Hierosolymæ, mundiq; interitum, varicinatur, fore, ut traderetur crucifigendus, v. 1. & 2. Nam Primores populi, postquam nuntiatum sibi erat, Dominum resuscitasse Lazarum, coegerant concilium, v. 3. Et deliberarant de Christo interficiendo, v. 4. Decreverant autem: Non in die Festo, ne tumultus fiat in Populo. Hæc cum agitassent consilia, accidit, & quidem quatuor diebus ante Pascha, ut Christus in domo Lazari convivans, v. 6. ungeretur à Mariâ unguento pretioso, v. 7. Quod cum indignè ferrent discipuli, & Judas imprimis Ischariotes, v. 8. 9. suscipiebat Dominus mulieris defensionem, v. 10. 11. 12. 13. Quare commotus Judas, abibat ad Principes Sacerdotum, v. 14. suamq; ad prodendum Christum operam ipsis offerebat. Hi datam occasionem nolebant prætermittere; sed paciscebantur cum Judâ 30. argenteis, v. 15. Qui ex eo tempore quærebat opportunitatem Dominum tradendi, v. 16. Quod facinus Servatorem κατὰ διογνώσην clam esse non poterat. Hinc primo Azymorum die, v. 17. cum celebraret Pascha, v. 18. 19. & discubisset cum duodecim, v. 20. nunciat, quod unus secum accubantium, se sit proditurus, v. 21. 22. 23. & 24. Judæq; Ischarioti, quærenti: Num ego sum, Rabbi? responderet: Tu dixisti. v. 25. Postmodò sciens Do-

A Domi-

Dominus, horam distesius sui ex hoc mundo instare, v. 30 in *μνημόσυνον* sui instituit Sacramentum S. S. Cœnæ, v. 27. 28. 29. finitâq; mensâ, cum hymnum cecinisset, in montem Olivarum exiit. v. 31. &c.

II. *ψ. 1.* Πάντας τὰς λόγους τῆς τῆς) sc. de futuro excidio Hierosolymarum, mundiq; interitu. Nudius enim tertius ingressus Dominus Hierosolymas, & votivis exceptus erat acclamationibus; cumq; templum iatrasset, (h. e. atrium templi exterius, sive Porticum gentium, *צֶדֶק גוֹיִם* Vide *Villalp. Tom. II. Expl. in Ezech. p. 2. l. 3. c. 9. L'Empereur ad Middoth, p. 44. 45. 48. 190. seq.*) atq; eiecisset mercantes, &c. vesperi egressus est rursum urbe, pernoctavitq; in vico Bethaniâ, (procul ab Aethâ 2000. pass. V. *Ziegl. in Pal. p. 46.*) Postero die, cum reversurus Hierosolymas, ficui maledixisset, (*Chrysostomus, Münsterum in h. l. Voluit Dominus hoc factò ostendere sterilitatem populi Israelitici, qui, cum nunquam ferre vellet fructus pietatis, à Deo execratus fuit, ut radicitus exaruerit,*) & in urbem venisset, Principes Sacerdotum, & Seniores Populi sibi obstrepentes cohibuit, &c. Noctem sequentem in radicibus montis Olivæ egit, *Luc. 21, 37.* Ubi villa Gethsemani, V. *Hieron. de Loc. Ebr. & postero mane, discipulos ficum arefactam mirantes, firmiter iussit credere.* (Quò modò conciliandi sunt Bb. Evangelistæ *Matthæus & Marcus, qui non tam ordinem temporis, quam seriem narrationis attendunt*) Hierosolymas rediens, problema de censu dando solvit, acriterq; in Sadduceos, Scribas & Phariseos invehitur. Evenit autem, ut Domino Templo egredienti Discipuli ostenderent structuras templi, quod Herodes anno Imperii decimo octavo extruxerat, V. *Jos. l. 15. Antiqu. c. 14.* immenso ædificandi sumptu & exquisito decore. *Conf. Egesipp. l. 1. c. 45. de Excid. Hieros.* Hic Christus varicinatur excidium hujus templi, & totius urbis, nec non mundi interitum. *Quos sermões omnes cum finisset, prædixit Passionem suam, inquit:*

III. *ψ. 2.* Οἰδατε, ὅτι μετὰ δύο ἡμέρας τὸ πάχα γίνεται, καὶ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἔσται ἐν τῷ αὐρωθῆναι) Qs. diceret Dominus: Annus hic ipse agitur 1529. quòd primum Pascha, iussu Patris mei celebrarunt Israelitæ ex Ægypto educendi. Nunc autem

tem:

tem hoc ipso tempore, quo Pascha mactari moris est, Ego adsum, Ps. 40, 9. agnus ille Dei, Joh. c. 1, 29. ad profligationem peccati per immolationem mei ipsius apparens, Ebr. 9, 26. ibi umbra futuri, hic imago rei ipsius, c. 10, 1. Nam Pascha præfigurasse Christum Dominum, Apostolus testis est, 1. Cor. 5, 7. Pascha nostrum Christus est; (à quo habemus, ut de morte transeamus in vitam. Calv. in h. l. p. 148.) Neque necesse habeo ex Lactantio c. 18. l. 4. de Ver. Sap. adducere verba Esdræ; quæ ex 6. cap. ex translatione eorum, qui cum Ptolomæo fuerunt, Seniorum, Judæos insulisse, Justinus Martyr Tryphoni objicit, Tom. II. de ver. Christ. p. 141. τὸ πάσχα ὁ σωτὴρ ἡμῶν. Hoc Pascha Salvator noster. Nam non leguntur in ullo Codicum Ebraeorum. Hos autem fontes corruptos esse, non est admittendum. Conf. Hier. in c. 6. Es. contra Gal. de arc. catb. ver. l. 1. c. 8. & plerosq. Pontificiorum nec non Isaac. Voss. de Comp. ann. Patr. p. 16. & Calixt. Harm. Evang. p. 20 & 449.

IV. Verf. eod. ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου.) Appellat se tum hinc, tum aliàs sæpius Servator filium hominis. U. Matth. 8, 20. c. 16, 13. Luc. 13, 30. Quo nomine in V. quoque Testamento insignitus fuit. Nam Dan. 7, 13. apparuit in formâ filii hominis, & Gen. 3, 15. Semen mulieris nuncupatur. Nimirum, cujus deliciae sunt, esse cum Filio hominum, Prov. 8, 31. is ipse gaudet etiam filius hominis nominari. Deus voluit esse filius hominis, & homines esse voluit filios Dei. Aug. Tr. 12. in Johann. Filius autem hominis, (h. e. homo, juxta morem loquendi Sacro Codici n̄tatum, qui perspicitur in ll. c. Dan. 7, 13. & Prov. 8, 31.) καὶ ἕξ ἄνθρωπων & ἕξ ἀνθρώπων dicitur. Est enim homo ille solio insidens, Ez. 1, 26. qui Patribus olim promissus in plenitudine temporis, Gal. 4, 4. verè humanam naturam assumpsit, quippe carnis & sanguinis particeps factus, ut pueri, Ebr. 2, 14. Contra Manichæos, V. Socr. l. 1. Hist. Eccl. c. 22. Marcionitas, Nic. Call. l. 4. c. 28. Appollinarietas, Sozom. l. 6. c. 27. Valentinianos, Tertull. l. de Carn. Christ. Anabaptistas, Chem. LL. Theol. p. 1. L. de Fil. Dei. Weigelianos &c. Non nudus tamen homo, sed θεὸς υἱὸς ἀνθρώπου filius hominis est, utpote, qui futurorum præsciens, (quod solius DEI est proprium) cruci se affixum iri, prænunciat. Hinc & Paulus 1. Cor. 7, 8. & Ebr. 6, 6. Dei filium crucifixum esse asserit: sc. καὶ σταύρωται, Rom. 1, 3. Quæ tamen particula,

enla, non est *χωριστικὴ*, sed *ἀνεξαρτητικὴ*, contra Nestorium. V. Socr. l. 7. c. 32. & Zwinglianos. V. Beza Ep. 60. Vol. 3. p. 274. Sadeel de Ver. hum. nat. c. 3. p. 145. c. 6. p. 203. Scilicet sermo caro factus, haud patitur in Deitate, sed compatitur unā cum humanā naturā passionem, quæ ei imputatur, cum permaneat ipse in statu nihil perpetient: emmino. Epiph. in Ancyrot. Hinc Damascenus: *Quæ humana sunt, λόγος ὀικεῖται*, sibi attribuit, peculiaria quæ facit; contra, quæ propria μεταδίδωσκει. *καὶ τὸν τῆς ἀντιδόσεως τρόπον* &c. L. 3. Orb. fid. c. 3.

V. ψ. 3. *συνήχθησαν*) Hanc vocem Interpretes reddiderunt in Perf. congregati vel coacti sunt. B. Luth. *da versamleten sich*. Verum cum Johannes testis sit, Concilium hoc statim cœpisse, quando Pharisæis renunciatum fuit miraculum resuscitati Lazari c. 11, 47. & v. 53. dicatur, quod ab illa die consultārii PP. Concilii, ut interficerent Dominum, colligere hinc in promptu est, complures dies durasse sanguinarium hoc concilium, neq; biduo demum ante Pascha coactum fuisse: ut adeo per Plusquamperf. explicanda veniat vox *συνήχθησαν*, Tum congregati erant: *dasu-mahl waren versamlet*. Quæ significatio Aoristi Sacris literis familiaris est. Sic Latinus Interpres in formā Hyperlytelici vertit aoristum primum, Mar. c. 16, 14. Job. 739. c. 18. v. 14. &c. Conf. Glass. l. 3. Phil. S. tr. 3. c. 46.

VI. ψ. eod. *ἀρχιερεῖς*.) Dignitatis nomen retinebant etiam ii, qui summi Sacerdotes esse desierant. &c. Vid. Cas. ad Bar. ann. exerc. 14. Cautum quidem erat divinā lege, ut Summus Sacerdos ad mortem usq; suam suo fungeretur officio. Exod. 40, 15. Num. 35, 25. Conf. Gerb. Harm. Hist. Pass. c. 8. p. m. 24. Postquam tamen primus Antiochus Epiphanes summum Sacerdotium, Jesu ereptum, Oniæ contulerat, Jos. l. 15. Antiq. Jud. subsequenti temporibus adeo violata fuit prima illa ordinatio, ut hic Magistratus ex perpetuo factus esset ambulatorius. Nam Valerium Gratum, Pilati Prædecessorem, intra paucos annos, quinqvies hostranstulisse honores, Josephus testatur, l. c. l. 18. Fortè quod *morum Augusti* fuit, non diu continuare magnas dignitates, Tac. l. 1. ann. (qualis hæc summorum Sacerdotum quoque fuit,) illud secuti sunt Palæstina Præsides.

VII. ψ.

VII. ὅτι ἐπὶ γράμματις) significantiam hujus vocabuli expresfuralii reddunt *Literatores*, *Literari*. *Origines*: *Qui nuda scripta atq; mortua litera, contempto Spiritu vivificante, mordicus inbarent, Scriba s. literarii nuncupati, Tr. 24. in Matth.* Alii vertunt *Scriba*. Nam γράμμα, undè γράμματις & *Scripturam* & *literam* significat. *Martin. in Lex. sub voc. γράμμα*. Et *Scriba*, notante *Festo*, antiquis vocabantur *librarii*, h. e. *librorum descriptores*. Τὰς γράμματις autem in SS. Bibliis describendis occupatos fuisse, probabile. Nam *Ebræa* vox סופר, quam LXXII, γράμματις vertunt, à ספר descendit, undè & ספר liber, *Epistola*. R. *Mard. Nath. in Concord. hac voc.* *Esdras* quoque c. 7. סופר sapiens dicitur, non, quòd divinas scripturas amissas restituerit, contra *Tert. l. de bab. mul. Chrysostr. hom. 5. in Ep. Ebr. Theodoret. pref. in Comm. in Cant. Cant. Iren. l. 3. adv. Her. c. 25. Augustin. de mir. S. Script. c. 2. Hieron. cont. Helv. Galat. de arcan. l. 1. c. 8. Salmer. l. 1. Comm. in N. T. Sixt. Senens. Bibl. S. l. 1 Tit. Esra. Genebr. l. 2. Chron. & alios; sed quòd libros Biblicos adhuc extantes collegerit, & accuratè describendos curaverit. *Buxtorfius in Tiberiad. & B. Gl. Phil. S. l. 1. Tr. 1* statuunt, *Autores Masoræ* fuisse אנשי כנסת הגדולה, *Viros Consistorii magni, cujus Præses Esras*: Hinc conjecere possemus, *Masorethas* dictos fuisse γράμματις. Nam & R. *Elias Levita*: *Masoretha* dicti fuerunt מסורתי הסופרים in *pref. lib. 3.* מסורתי enim radix, numerare significat. Nam *Masoræ* beneficio non modò voces, sed etiam literæ in numero habentur. *Idcirco vocati sunt priusci Numeratores סופרים quia numerarunt omnes literas legis, in Talmud dicitur in lib. קרושי* c. 1. f. 30. cit. *Buxt. l. c. p. 44.* *Casaubonus* ante captivitatem *Babylonicam* institutum *Scribarum* ordinem sentit, eorumq; officium fuisse, *legere & interpretari Scripturas, ad Bar. exerc. 1 n. 8.* Nam & *Es. 33, 18.* legitur vox סופרים & *Buxt. l. c. p. 99.* ספר Est. 7. c. 6. non tam *Scribam*, quam *Scripturarum interpretem* notare, testatur. *Hinc Tremell. in c. 2. Matth.* vertit *Doctores & Enumeratores legum.**

Legum. Lutherus: die Schriftgelehrten. Scil. γραμματεῖς iidem, qui νομικοί. Conf. Matth. 22, 35. Marc. 12, 28. & in genere significant quoslibet in lege doctos. vid. Matth. 23, 34. & Hier. in h. l.

IX. ψl. eod. Πρεσβύτεροι) i. e. Assessores Synædrii Magni, quod ex LXXI. Senatoribus constituebatur. Nam citante Galat. 1.4.c.5. de arcan. cath. ver. in lib. Sanhedr. Babyl. in c. מִתּוֹרָה sic habetur: Non erant judicantes tribum, vel Sceptrum, vel Pseudopropheta, neq. Sacerdotem Magnum, nisi domus iudicii 71. iudicum. Et si autem hoc tempore Judæi non habebant potestatem supplicia exequendi; habebant tamen licentiam cogoscendi & decernendi, contra Baron ann. 34. n. 76. Bertramum de R. J. p. 99. &c. Conf. B. Gerh. Harm. Hist. Pass. c. 8. p. 327.

IX. ψl. eod. εἰς τὴν αὐλὴν ἔαρχιεράως) quam Joseph. l. 2. bell. Jud. c. 6. in Acrâ constituit. Etenim Hierosolyma intra mœnia in quatuor præalcis montibus, Sione, Acrâ, Moriah, ac Bezeithâ, & duabus intra montes illos ingentibus vallibus, Tyropæo sc. & Cedrone condita erat. Joseph. l. c. 1.6.c.6. Hic disquirendum est, quare concilium hoc habitum sit in Atrio Summi Sacerdotis? & non in Curia Seniorum (מִן הַזֵּקֵן) cum Galat. 1.4.c.5. ex Comm. in Gen. R. Mos. Hadarsan, citet, quod Synædrii sederint in iudicio Gafith. Sciendum v. ex lib. Sanhed. Hierosol. quod ex eo tempore, quo iudices à Consistorio Gafith expulsi sunt, Judæi nullam deinceps capitalem litem peremerint. Heyden. in Jerus. l. 3. c. 6. Deinde notum, quod hoc tempore jam abolita fuerint iudicia animarum, fatentibus ipsis Synædriis, Joh. 18, 31. ἡμῶν οὐκ ἔστιν ἀποκρίνωμεν δένα. Hinc scribit R. Mos. μακροζι in מ'ס' quod 40. annis ante destructionem templi migravit Synædrium de loco suo: idemq; legitur in Sanhed. Hierosolym. in cap. יהו בודקיה. Accidit autem illa destructio anno post O. N. 72. & Christum crucifixum 37. Unde patet, ante triennium circiter ablata Synædriis iudicia capitalia; ipsosq; ex מִן הַזֵּקֵן מִן הַזֵּקֵן expulsos fuisse. Ut conveniens adeo suos in Atrio summi Sacerdotis instituere necesse habuerint.

X. ψl. 4. συνεβουλεύσασθε.) Vox huic negotio exprimendo summe idonea. Nam Bule, tam pro Consilio, quam Senatu, & Græcis & Latinis usurpatur. Bulevta Consiliarium, Bulevterium

rium Curiam, Symbulion Concilium significat. Vertenda autem vox, ut supra συνήχθησαν, in Plusquamperf. deliberarant, interant consilium; sed nefarium pessimumque de Christo Servatore interficiendo. Hinc liquet, *errare posse Concilia*. Quam assertionem Scripturæ dictis, certisque demonstrare exemplis, superse-
deo, quod hanc operam Nostrates Theologi egregiè præstiterint. (Conf. sis Diet. in Cath. p. m. 446. seqq. Ubi consiliorum, quæ errarunt, Catalogum texuit; aut si mâvis, pervolve *Acta Conciliorum 3. Tomis comprehensa*, ex quibus *Joh. Sag. Burdeg.* Canones in unum volumen collegit. Reperies, partim superstitiosa, partim *ἀπὸ τῆς πίστεως ἀποπλανηθέντα* 1. Tim. 6, 10. dogmata, in omnibus ferè Conciliis, fuisse decreta. Nisi fortè, quod consentaneum, impudens aliquis nebulo, suas ineptas nenas, præterendo iis speciosum nomen Canonum Concilii, obtrudere Ecclesiæ fuit ausus.) Unici hujus, quod in præsentia consideramus, Concilii exemplum, adeò stringit Pontificios, ut, quicquid conentur, non videantur posse elabi, quò minus convincantur falsitatis, cum asserunt, *nullum errorem admitti posse ab Ecclesiâ, R. præsentativa* nempe *Biel Lect. 22. in Can. Miss.* Hic enim congregati fuerunt omnes Ecclesiæ Judaicæ Proceres. Conf. 8. 8. *Bellarmin. l. 4. de P. R. c. 4.* asserit, *neq. particularem Romanam Ecclesiâ errare posse in fide*. Quo verò Privilegio gloriari potest Romana Ecclesia præ Judaicâ? Num fortè dignitate Petri, quæ in Romanis Pontificibus etiamnum data esse debet? (quâ quàm ineptè superbiunt Papicolæ, ostendit *B. Balduin. in Phosph. l. 10. c. 2. seq.*) Verùm PP. hujus Concilii, Christo ipso dicente, *Matth. 23, 2.* sedebant in Cathedrâ Mo-
sis. V. in h. l. *Gl. Phil. S. l. 5. tr. 1. c. 4.* Num autoritate Papæ, de quâ *Bell. l. 2. c. 12. de Conciliis: Firmitas Concilii nascitur ex consensione corporis cum capite?* Verùm huic Concilio ipse summus Pontifex *Cajaphas* præsens præerat. Quia frustra quoque à *Bellarmino* dicitur *l. c. Concilia generalia ante Confirmationem Summi Pontificis errare posse, nisi Patres in definiendo sequantur Pontificis instructionem*. Nam PP. hujus Concilii Hierosolymirani, quicquid summus Pontifex dicebat, dicebant, quicquid probabat, probabant, quicquid de-
mum jubebat, sequebantur.

XI. *ψf. eod. ἵνα τὸν ἰησοῦν κηρύττωσι δόλῳ, καὶ ἀποκτείνω-
σι*) Voce ἰησοῦς utuntur LXXII. ubi in Ebræo est *ישוע*, sed E-
vangelium Matthæi Ebræum & Syrus habent *ישוע*, pro quâ voce
pugnant Galatinus, l. 3. c. 20. de arcan. Pagninus in interpr. nom.
Ebr. Jansenius l. 7. concord. Reuchlinus putat nomen ἰησοῦς esse no-
men *ישוע*, & insertam literam *ו* notare divinitati unitam
humanitatem de verb. mir. l. 3. c. 12. cum quo consentiunt, Jac. à Val.
in Comm. in Ps. 8. Burgens. in c. 3. Exod. &c. Verùm repugnat Ety-
mologia angeli Matth. 1, 21. Græcè dicitur à *σωζειν*, *σωτήρ*, Latine
Servator, aut significantiù; *Salvator* à *Salute*, quo vocabulo Hierony-
mus Erasmi iudicio, Ep. nunc. ipsum etiam Ciceronem nonnullis
dicendi virtutibus superans, utitur, in Matth. c. 1. expos. & de nom.
Ebr. &c. Cæterùm rationes sanguinarij hujus Concilij affert
Job. c. 11, 48. *Quid facimus? Quia hic homo multa signa edit. Si sinea-*
mus eum ita, omnes crederent in eum. Uadè conjicere licet, non du-
bitasse Synædros, quia Christus verus Messias sit. Quia autem
sibi perivaserant, Messiam occupaturum esse regnum Judaicum,
idcirco verebantur, ne Romani, qui tunc Domini terrarum or-
bis erant, venirent, & excinderent totam gentem. Unde nich-
men ihnen Land und Leute/uti Megalander Lutherus benè vertit. Etsi
autem non est dubitandum Pp. hosce, de suâ quoq; auctoritate tu-
randâ, quàm maximè fuisse sollicitos; dissimulabant tamen hos
sensûs, & ratione magis probabili nequitiam suam palliabant.
(Non æquè callidè rem agebat Papa Adrianus, qui in literis ad Rom.
Imper. statûs, Norimbergæ congregatos, anno 1552. suo se prodebat
iudicio: *Das thu Ihm auch so viel desto weher / daß viel
aus dem Adel/dem Luther günstig seyn / und daß der
Handel so weit iht gewachsen sey, daß der geistl. Wür-
digkeit in Teutschen Lande geschwächet sey / und Sie
auch besorgen müssen/ daß Sie ihrer Güter halben an-
gefochten werden. etc.* V. Sleidanus in der Beschreibung
&c. l. 3. f. m. 37. f. 2.) Non autem mirum, si hodiè filii hujus se-
culi suis fratribus prætexere satagant curam, ne Respubl. aliquid de-
trimenti capiat. Nam olim jam interfectores Domini, sua consi-
lia

lia ad hanc normam dirigebant: *Salus populi suprema Lex esto*. Quasi verò ea, quæ pravissima reperiuntur, si ad disciplinae Præcepta perpenduntur, recta esse possint, si ad Civitatis rationem dirigantur. Contra Cic. de Orat. p. m. 160. Et Politicorum Decretis, Patriam semper defendendam, sive id fiat justè, sive injustè, sive honestè, sive cum ignomiâ. V. Mach. l. 3. disp. c. 41. Huc tendit Caiphæ oratio, dicentis ψ. 50. *Expedi vobis, ut unus moriatur pro populo, ac non tota gens pereat*. En, egregium artificem in iis, quæ Politicæ stationis esse creduntur. Nam Præses hujus Concilii parvi pensitat, si aliquid ex eo in quo habeat exemplum Christi, (cui ex magnâ famâ periculum) è medio sublatis, si illud utilitate contra singulos publicâ rependatur. Quod ipsum intendisse Caipham, minime dubium est. Verùm mentem suam expressurus, Sp. S. impulsu, istiusmodi usus est, verbis, quæ Prophetiam sapiunt, Joh. l. c. ψ. 51. Cùm enim sufficeret dixisse, *Expedi, ut unus moriatur, ne tota gens pereat*; inseruit tamen *pro populo*, quasi ad illud Matth. 1, 27. alludens: *Ipse salvabit populum suum*.

XII. ψ. 5. Μη ἐν τῇ ἑορτῇ) omnes Regiones Palæstinæ peragrârat Dominus, potens operibus, Luc. 24, 19. Et prædicans Evangelium regni Dei, Marc 1, 14. Hinc Turba habebat eum Prophetam, Matth. 21, 46. quæ tunc ex omnibus Judæorum Provinciis Hierosolymis præsens erat. Haec, ne tumultum concitaret, timebant Sacerdotes ac Pharisæi, Matth. l. c. Et idcirco priusquam ipsa, finitâ Paschali solennitate, (ἑορτῇ enim totū reipso festo sacrum complectitur, Grot. in h. l. v. 3.) Hierosolymis discessisset, concilium suum deprehendendo Christo, exequi volebant. Verùm cùm Salvator pridie, quàm Judæi Paschalis Festum celebrarent, occisus sit; idcirco subnectit B. Evangelista Historiam Judæ Proditoris, cujus instinctu congregati Patres decretum suum mutârunt, atroxq; narrationem de muliere dominum unguente, quæ unctionem sex diebus ante Pascha contigisse dicitur Joh. 12, 1. ut hinc appareat, quid Judam ad hoc grande scelus perpetrandum commoverit. Concina è admodum. Nam oportet rerum gestarum scriptores causarum cum primis esse memores, in quibus exponendis adhibendum est ab iis summum studium, maximèq; diligens cura. Quodq; causis in, quæ propinquæ quidem sunt, aliquid tamen sese quandoq; ostendit antiquius, hujus quoq; tanquam principii faciendâ est repetitio. V. Pont. in Actio, p. m. 1424.

XII. ψλ. 7. γυνή ἀλάβασρον ἔχουσα.) Mulierem hanc Ma-
 riam Lazari sororem fuisse, cum B. Hunnio in h.l. Tom. III. p. m. 558. &
 B. Gesnero in Conc. in Pass. p. m. 14. asserere nullus dubito. (Eviacunt
 enim id circumstantiæ, quæ Joh. XII. habeatur, evidenter.) Du-
 biis D. Bugenhageni in conflictu, oblatâ occasione, satisfacturus sum.
 Vocem ἀλάβασρον rectè vertit Lutherus in Blasyl (nempe propter
 levorem, quo vasa ex hoc lapide excavata, insignia.) Hinc Martinus
 derivat ὄψις τὸ μὴ λαμβάνεσθαι, quòd propter lubricum prehendi
 non possit, in Lex. h. v. Etsi Camerarius quasi ἀνευ λαβῆς dictum putet,
 in h.l. Suidam fortè secutus, qui ἀλάβασρον scribit esse ἄγγυ μύ-
 ρου, μὴ ἔχον λαβῆς. Conf. Plin. l. 13. c. 1. hist. nat.

XIII. ψλ. eod. μύρα βαρυτίμα) Johannes habet, μύ-
 ρα νάρδος πισικῆς. Quod Beza reddit, nardi liquidæ, vel
 nardum derivans à πῆρ h. e. fluere, vel τὸ πισικὸς ab anti-
 quo πίω, bibo; ut πισικὸς idem sit, quod fluidum, liquidum. Ju-
 nius vertit, nardi præstantiæ, Syrum secutus, qui habet נישין נרדן
 i. e. aroma nardorum principalium. Hieronymus: unguenti nardi spi-
 cati. Notat enim Camerarius, quosdam patasse, Latinnm esse voca-
 bulum πισικὸς, factum ex spicato nardo, & scripturâ græcâ depræ-
 vatum: quemadmodum Græci fecerunt de Sexto ξύσον, ex Sextario
 ξέσην. Hartung. dec. 3. c. 6. & Pasor in Lexico, Cyrilli sententiam pro-
 bant, πισικόν, mendosè scriptum pro ὀπισικόν, dempto ομικρον ab
 Oppido Opis propè Babylonem. De priorum opinionum probabi-
 litate nolo nunc disputare, posteriori conjecturæ non assurgen-
 dum censeo. Nam 1. mendosa scriptio SS. literis non est affin-
 genda temerè. 2. notat Martinus in Lex. h. v. ab ὀπίς (quod non per
 ομικρον, se ὀμέγα scriptum reperitur apud Strabonem) non posse
 facile deduci ὀπισικὸς, sed potius ὀπικὸς. Ut taceam 3. quòd
 Galenus, qui anno p. C. N. 144. floruit, l. 6. ὑγείων scribit: Uni-
 cam esse urbem Laodiceam, quæ unguentum hujusmodi cum laude confice-
 ret. Conf. Martin. in Lex. voc. Nardum pistica. Hinc mihi proba-
 bilis maximè videtur eorum sententia, qui πισικὸς δὲ τῆς πίσεως
 deducunt, quòd sit, μετὰ πίσεως συνείθεσσι, Camer. l. c. fideliter præ-
 parata, sincera, incorrupta, & probata. Lutherus, ungeschäfelt. Nam
 Plinius mentionem facit Pseudo-nardi l. XII. c. XI. quo verum adul-
 teretur, Conf. Cas. Exerc. Ant. 14.

XIV.

XIV. ψλ. eod. ἐπὶ τὴν κεφαλὴν) *Johannes, unxit pedes Jēsus* nimirum quoniam de Mariā prædicaturus erat, quòd *Domini pedes exterserit capillis suis*, idcirco facit mentionem *unctiois pedum*. Non igitur pugnant sacri Historici, quia neuter *exclusivè* loquitur. Utramq; autem narrationem conciliare videtur ipse B. *Johannes c. XI, 7.* dicens; *Mariam Dominum unxisse unguento, & extersisse pedes ejus capillis.* Imitatione autem dignum est hoc Mariæ factum. Scilicet *duo corpora Christus habet, unum, quod suscepit ex virgine, alterum Ecclesiæ.* Bernh. *Serm. de Mar. Magd.* Opitulemur igitur membris Ecclesiæ, quæ *ad nostras fores jacet, Luc. 16, 20.* cum non tingere possimus corpus Christi, quod in cælis sedet. Unguentum Mariæ erat fluidum, nam effudisse illud dicitur. *Nostri quoq; fontes deriventur foras, & in plateis vivi aquarum, Prov. 5, 16.* Unguentum Mariæ ἀδόλον erat, & sincerum: *Sic nostra dilectio, vera esse debet, & αὐτόκρατος, Rom. 12, 9.*

XV. ψλ. 8. Οἱ μαθηταὶ αὐτῆς ἠγανάκτησαν.) *Johannes: Judas Ischariotes indignatus est*, ubi non opus est cum Münstero in h. l. Synecdochen statuere, quasi *solum* Judas murmuraverit; sed dicendum, quòd *reliqui Apostoli etiam indignè tulerint hoc Mariæ factum; non omnes tamen, sed aliqui, Marc. 14, 4.* Judas autem præprimis, qui & cæteros commovisse putandus est. Verbum ἀγανακτέω quasi ἀγαν ἀχδομαι (*Pas. in Lex.*) vehementem iracundiam significat. *Marcus habet: ἀγανακτῆντες πρὸς ἑαυτὸς, quod Erasmus reddit, apud sese.* Sic *Luc. 18, 11.* dicitur *πρὸς ἑαυτὸν πρὸς σήυχιστο. c. 24, 12.* πρὸς ἑαυτὸν θαυμάζων. &c. ut indicetur, suppressere voluisse discipulos suam iram: verùm ignis fumo involutus, nequit diu occuli: &

*Cum spirat ira sanguinem, non tegitur,
Ut tegatur,*

Seneca Thyest. v. 502. Hæc quoq; discipulorum indignatio in verba tandem erupit.

XVI. ψλ. eod. εἰς τίη ἀπόλεια αὐτῆ.) *Quæstio hîc oritur ventilanda, quid de unguentorum, & medicaminum, quæ mulieres, ad formæ elegantiam sibi conciliandam, adhibent, nec non de Pulveris crinibus aspergi soliti (Puder vulgò vocant,) ut & vestium suave olentium &c. usua habendum sit?* Respondeo. I. *Fuci & pigmenta, quibus proterva quæ-*
dam

dam mulieres, non contentæ nativâ formâ, elegantiorẽ speciem mentiuntur, improbanda sunt. Bene Tertullianus lib. de cult. fœm. Quod nascitur, DEI opus est; Ergo quod fingitur, diaboli negotium est. Divino operi Satanae ingenia superducere, quàm scelestum est? Conf. Cyprian. de hab. virg. Aug. l. 4. de doct. Christ. c. 21. 2. Unguenta & medicamina, quæ munditiei concilianda & maculis, (non nativis, sed) ascitis eluendis inserviunt, ut & reliqua mutuata ornamenta, superius nominata, non sunt simpliciter illicita. Nam (a) usus eorum moraliter non est malus. (β) Ps. 104. 4. dicitur, DEUM crâsse oleum, ut eo niteat facies hominis; & Ps. 45. 9. de sponso Ecclesiae, quod vestimenta ejus fuerint myrrha & aloës & castia; & Eccl. 9. 8. oleum super capite tuo non deficiat. Conf. Matth. 6. 17. 3. Non usus rerum, sed libido utentium inculpâ est. Hanc taxant Propheta Esaias c. 3. 16. seq. Apostolus Paulus 1. Tim. 2. 9. Petrus 1. c. 3. & SS. Patres, Cyprianus, Tertullianus, Augustinus ll. cc. & ep. ad Edit. 199.

XVII ψf. 9. πρεσβήτων πολλῶν,) Marcus & Johannes, trecentis denariis; quam vocem à Romanis mutuârunt Græci, Ebræi, Syri. Communiter Græcorum drachmam, Ebræorum Zuz, & Latinorum Denarium, ejusdem valoris numismata esse dicunt, (exi Agricol. l. 4. de mens. & Pond. Latinorum Denarium, Atticâ Drachmâ graviolem esse dicat,) Conf. Bud. l. de Ass. & ei. part. 6. Sed quævis valoris? Respondet liber Præceptorum Mosaicorum aff. & neg. Siclus continet quatuor denarios, denarius habet sex obolos, obolus autem juxta interpretationem Cabala est pondus sedecim hordeorum: Intellige Siclum Sacrum. Conf. Was. l. 2. de Antiq. Ebr. num. Siclus igitur sacer valuit circiter semithalerum Imperialem, & denarius 3. grossos monete nostratis. Quicquid sit, magno coassitisse hoc unguentum, Plinius testatur l. XII. Hist. nat. c. XI. Elucet verò hinc egregia fides & insignis amor Mariæ erga Christum. Quoniam Christum Servatorem mundi esse credebat, idcirco minimè dubitabat, in gratiam & honorem ipsius magnos sumptus facere. B. Hunn. in h. l. Tom. III. Op. p. m. 160. Ex Mariâ igitur quilibet exemplum petat liberalitatis suæ, erga Ministros Ecclesiae & Scholarum. Nam qui parcè seminat, parcè quoque metet; qui autem seminat cum benedictione (ἐπ' εὐλογίας, libenter & benignè largiend) vert. Erasmo & Tremellio. Conf. Glasf. Phil. S. l. 3. Tr. 5. p. 409. Westhemer. de Trop. col. 300. (seq.) cum benedictione quoque metet. 2. Cor. 9. 6.

XIIX.

XIIX, ψ. eod. *δοθέναι πτωχοῖς.*) Hi sunt mores Hypocritarum, ut longè aliò fiat ingeniò, quàm cuius simulationem induerunt. (Luci cupidus, vult videri liberalis; avarus, beneficus, fur, pius. Verùm proderis, Hypocrita, dum celari vis. Nonnè dixerat Servator; *Quatenus fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis. Matth. 25, 40.* Quid amplius potuisset Dominus dicere, ut excitaret te ad subveniendum egeno? At tu verò irasceris mulieri, Christum ungenti; quid diceres, pauperem sublevanti? Ringeris beneficium præstari Christo de alieno; quid faceres, si quis misero largiretur de tuo? Noscitur tuum ingenium, fallerisq; si falli posse putas Dominum *καγορῶσθαι*. Quem respondisse, Marcus memorat; *si pauperibus vis benefacere, nonnè semper pauperes tecum habes?* Ita nempe prædixit DEUS *Deut. 15, 11.* *Noli ergò misericordie tempora perdere,* Chrys. Hom. XV. de div. Dedit tibi DEUS multa, quibus uteris, ut ut dares pauperi pauca, quibus eger. Potuisset DEUS ipse, ditare pauperem, *Sir. 11, 23.* Sed te voluit suum esse dispensatorem. Quid faceret Rex servo suo, qui redditibus præfectus, pecuniam alteri destinatam præripere? Cave proinde piger ad erogandum sis. Quod tribuis misero nobiscum viventi; id præstas Domino super nos regnanti. *Delectum* quidem habendum in dando, & non alendos esse, qui ostiatim stipem petunt, Doctores statunt. Quod extendunt tam ad mendicos robustos & valentes, quorum *ignavia non sit instruenda viatico,* Plut. in Vit. Sol. quàm ad imbecilles & qui mutilis membris existunt; hos enim privatim juvandos esse, ne victum suum ostiatim quærere habeant necesse: urgent illud *Deut. 15, 4.* *Ne sint egentes apud vos.* Verùm, cum moribus nostris ita ferè receptum sit, ut quicumq; aliorum ope indigent, ostiatim eam soleant efflagitare; nobis autè non semper tam cautis esse liceat, ut dignoscere possimus, qui digni sint nostro beneficio, qui verò minùs? idcirco ne unius culpa in plures redundet, subveniendum esse iudico mendicis illis, qui fores nostras pulsant. Sic, *Luc. 6, 30.* jubet Dominus: *πᾶντὶ τῷ αἰτῶντί σε δίδε: in causâ scil. Eleemosynâ,* Tertull. lib. de Fug. in Persec. Maximè cum liberalitas in indignos etiam exercenda sit. Conf. *Rom. 12, 20.* Hinc *Aristoteles,* cum interpellaretur à discipulis, ne Eleemosynam daret pauperi, beneficiis indigno, respondit, *ἢ ἀν-*

Ἰσώρω, ἀλλ' ἀνθρώπων. Dictum Deut. 15, 4. vel ita explicandam
 est, ut Magistratum stringat, cujus officium omnino est, prospici-
 cere, tum, ut Eleemosynæ prudenter & æqualiter distribuantur;
 tum, ut eorum potissimum egentium, qui in Rep. vivunt, penu-
 ria subleventur: vel dicendum, quod vox יְרֵכָה h. l. inopem, & ψ.
 10. egenum significet; ut sensus sit: Erunt quidem vobiscum egen-
 tes, verum opera vobis danda est, ne quis eorum operam vestram im-
 ploret frustra. Breviter: Non culpatur Apostolus Ecclesiam, quod
 viduas beneficiis indignas alat, sed taxat viduas Ecclesiam onerantes
 1. Tim. c. 5, 16.

XIX. ψ. 12. ἐνταφιάσαι) Explicat hanc vocem Marcus, μνη-
 σαι εἰς τὸν ἐνταφιασμόν. Nam LXXII. verbo ἐνταφιάζειν utuntur,
 Gen. 50, 2. vertentes vocem מִצַּח, quæ de conditura Jacobi adhibe-
 tur. Ex quo loco simul apparet, Ebræos morem unguendi mortu-
 os, ab Ægyptiis accepisse. Præstitit ergo Maria Christo moritu-
 ro, quod moris erat facere mortuis; prophetico Spiritu acta. Ec-
 clesia. omnis boni operis causa efficiens Principalis, Spiritus Sanctus
 Ps 51, 12. Hoc tamen bonum opus in Mariâ peculiari modo ope-
 ratum fuisse Spiritum S. minimè est dubitandum. Hinc & per-
 manet Salvator in defensione mulieris, dicens; Amen (quam vo-
 cem Hieron. Comm. in Es. reddit verè, & non tam jurandi, quam affirman-
 di particulam esse, ostendit Fuller. Miscell. l. 1. c. 2. Conf Dilb. Ecl. S.
 d. 1. p. 2.) dico vobis, ubicunq; fuerit prædicatum (nam DEUS patefacit
 sermonem suum ἐν κηρύγματι, per prædicationem Tit 1, 2. non per
 visiones, aut privatas inspirationes; Contra Enthusiastas, Anaba-
 ptistas, Schwengfeldianos, Weigelianos, Quakeros &c. Vid. Wigand.
 Anab. p. 1. Schwenckf. T. 1. 9. 90. p. 77. 780. Weig. Part. 2. Post. p. 34. Comen.
 in Luc. in Teneb. &c.) Evangelium, in toto mundo, (ergo gratia voca-
 tionis non est particularis, sed universalis, contra Calvinianos Pa-
 reum in Iren. c. 28. Spanhem. Cont. Amirald. p. 140. seq. Arminium p. 661.
 Oper. & Rintelenses in Coll. Cassel. p. 7.) qui committunt fallaciam
 ὅτι τὸ τὰ πλείω ἐρωτήματα ἐν ποιῆν.) hoc quoque, quod fecit,
 narrabitur in memoriam ipsius. (Nam in memoriâ aeternâ erit justus.
 Ps. 112, 6.)

XX. Hæc Christi responsione adeò commotus fuit Judas
 Iscariotes, (dictus à כַּשׁ h. e. conduxit mercede. Quamquam
 aliter

aliter sentiat Junius in *Comm. in Jud. Tom. 1. p. 1269.* quod in Syriaco non Ψ , sed Σ scribatur; cum verò cognationem habeant Σ & Ψ , Conf. *Aven. in Lex. h. v.* idcirco à mercede nomen suum traxisse videtur, qui mercede conductus Dominum mundi prodidit. Vid. *Joh. de Cart. l. X. Hom. 11. n. 13.*) ut abierit ad Principes Sacerdotum, & pactus fuerit 30. argenteis. (*Ambr. l. 2. de Sp. S. Quomodo poterat verum eius pretium comprehendere, cuius non potest meritum definiti?*) Quam summam autem conficiant 30. argentei, nolo nunc disputare. Vid. *Cart. l. c.* Sententia communior, eaq; probabilior est, siclum sacrum & argenteum esse ejusdem, valoris, 30q; argenteos conficere 15. thaleros monetæ nostratis. Nam Targum reddit illud *Gen. 20, 15.* קס"ב קל"ב mille argenteos siclos Et LXXII. nomen קס"ב reddunt non solum per $\delta\epsilon\gamma\acute{\upsilon}\rho\iota\omicron\nu$ sed etiam per $\sigma\acute{\iota}\kappa\lambda\omicron\nu$. Conf. *Num. 7, 85. Deut. 22, 19. 2. Reg. 15, 20.* vid. *B. Gerb. Comm. in Gen. c. 20. p. m. 416.*

XXI. ψ . 17 $\text{Τῆς ἑπτάτης τῶν ἀζύμων.}$) Haecenus per Hystorologiam, recensuit B. Evangelista, historias Mariæ ungentis, & Judæ Servatorem prodentis. Jam nunc nova subrexit narratio. Hinc & Erasmus particulam η vertit cæterum. *Azyma* dicuntur ab α , quæ particula est $\sigma\epsilon\gamma\eta\tau\iota\kappa\eta$, & $\zeta\acute{\upsilon}\mu\eta$, fermentum. Nam Israëlitæ tenebantur Pascha comedere, adhibito pane non fermentato. Continuabantur autem *Azyma* 7. diebus. *Exod. 12, 16.* *Calvisius Isag. Chron. c. 38.* notat, institutum fuisse Pascha 14. die mensis *Abib*, h. e. *Nisan*, *Azyma* autem incepisse sequenti die 15to: ac putat duplex fuisse Pascha. Mactationem enim agni peractam fuisse die 14to, oblationem autem 15to primi mensis: decimo quarto quidem die comedisse Judæos agnum asatum, decimo quinto autem elixum, ex ll. *Exod. 12, 8. seq. Deut. 16, 2. & 7.* Hacq; ratione Evangelistarum de Paschate rationem facilius posse intelligi adserit. Verùm hæc de duplici Paschate sententia lubrico nititur fundamento. Vox enim בשיל *Deut. 16, 7. & c.* non notat in specie, in aqua coquere, sed in genere maturescere significat. Opponitur namq; בשיל coctura, בשיל h. e. crudo, sive Chaldaico כרדי h. e. quasi vivo; atq; idcirco dicitur *Exod. 12 9.* $\text{בשיל בַּמַּשֶׁה בְּמִי־מַי־חַיִּים}$. Scilicet crudus comedendus erat agnus Paschalis sed maturus quidem l. c. *Deut. 16, 7.* verùm non maturandus tamen in aqua. *Reuchlinus in Concord. R. Mard. Nath. h. v.*

vertit

vertit פֶּשֶׁל coqvere, asfare, bullire; & Aven. in Lex h. v.
 יִבְשְׁלוּ maturaverunt, rectè exponit, asfaverunt, 2. Par. 35. 3. quo
 loco præparatio Paschalis expressis verbis distinguitur à cocturâ
 in lebetibus & cacabis & ollis. Prior quoq; opinio de Azymo-
 rum die non videtur difficultate carere. Etenim non duplex, sed
 unicum ex sacro Codice probari posse Pascha, ex hætenus dedu-
 ctis liquet. Deindè verò, hoc, qui jam ventilatur, loco, adstruit
 B. Matthæus, quòd primo Azymorum die, Discipuli Salvatoris, de
 parando Paschate, fuerint solliciti; quo igitur modo Paschatis e-
 sus, potuit præcedere azymorum diem. Sciendum igitur
 (1) quòd Judæi diem ab occasu solis auspiciari soliti fuerint, quod
 penes Chronologos indubitatum. Nam dicitur Gen. 1, & 2. Factum
 est vespere & mane dies unus. 2.) Deinde observandum, quòd Exod.
 12, 6. dicatur agnum Paschalem immolandum בֵּין הָעֶרְבָיִם
 inter vespere, dicimur quarti diei, mensis Nisan, post comeden-
 dum, panesq; adhibendos fuisse Azymos, (quod ψ. 18. repetitur,
 Primomense, quartâ decimâ die mensis ad vespere, comeditis azyma)
 (3.) Porro notandum, quòd עֶרֶב dualiter, significet terminum
 præcedentis & initium sequentis diei, Aven. Lex h. v. (quâ in re interpre-
 tes ferè conveniunt, etsi quoad determinationem intermedii spa-
 tii R. Aben. Ezra verba בֵּין הָעֶרְבָיִם vocat מֵרָחֵק difficile ver-
 bum cir. Dn. D. Str. Chron. l. 4. c. 9. 6. Undè apparet, exente 14. & in-
 ente 15. die Mensis Nisan agnum Paschalem fuisse mactandum
 & comedendum, inq; idem tempus incidisse initium dierum Azy-
 morum. Hanc ob causam verba τῆς πρώτης τῶν ἀζύμων, expli-
 canda sunt, proximè jam instante primo die Azymorum: hocq; modo
 B. Lucas c. 22, 6. ea exponit, ἡλθε ἡ ἡμέρα τῶν ἀζύμων. Nimirum
 quoniam Josephus testatur, quod à nonâ (nostrâ terriâ pomeridianâ)
 ad undecimam (nostram quintam) Judæi occupati fuerint in paran-
 do Paschate, l. 7. de B. J. c. 7. idcirco probabile est, circa idem tem-
 pus, paucis horis ante primum Azymorum diem, ad hoc nego-
 tium se accinxisse Christi discipulos. Conf. Dn. Str. D. Brev. Chron. l. 4.
 c. 9. Pane autem azymo vesci jussi sunt Judæi, ut reminiscerentur
 exitus sui ex Ægypto. Festinanter enim urgentibus ipsis Ægyptiis
 profecti sunt. Hinc Exod. 12, 40. dicitur: Prensuerunt pastam, quam de
 Ægypto

Ægypto conspersam tulerant; & fecerunt subcinericios panes azymos: neq; enim poterat fermentari, cogentibus exire Ægyptiis, & nullam facere sinentibus moram, &c. Quapropter & panis azymus Deut. 16, 3. Panis afflictionis dicitur; nempe ut Israëlitæ Azymo pane vescentes recordateatur afflictionū, quam DEUS Ægyptiis immiserat. Nos, qui Christi nomen gerimus, Pascha-ros festam (Pascha autem nostrum immolatus est, Christus) celebremus, non in fermento veteri, neque in fermento malitiae & nequitiae; sed in Azymis Sinceritatis & veritatis 1. Cor. 5, 7.

XXII. *ψ. cod. Πᾶ ἡλεῖς ἐτοιμάσωμέν σοι φαγεῖν τὸ πάχα; φαγεῖν, i. e. ad edendum. Infinitivus enim gerundii vicem sustinet, more Græcis usitato. Pascha significat agnum Paschalem, μετωνομικῶς, ut Chron. 30, 18. ubi Lutherus Πᾶ reddidit das Osterlamm. Stringit autem hic locus Pontificios, qui agnum Paschalem, (Veteris Testamenti Sacramentum) inter Sacrificia recensent. Vid. Thom. II. secundæ, q. 102. a. 1. ut scil. evincant, S. Cœnam simul & Sacramentum & Sacrificium esse. Verùm Sacrificia immolabantur in Templo, à Sacerdotibus, & comburebantur igne; quædam integrè, ut holocausta לֶחֶם חֵטְאֵת , quædam ex parte tantum; ex parte autem cedebant alimænto Sacerdotum, ut לֶחֶם זֶבַח sacrificia pro peccato, quædam partim cremabantur, partim à Sacerdotibus, partim verò ab offerentibus manducabantur; ut hostiæ pacificæ, לֶחֶם שְׂלֵמִים . Contra ea, agnus Paschalis mactabatur (non immolabatur, quæ dæo Vulgatus non distinxit) 1. non in templo. Nam discipuli quæruat ex Domino, πᾶ , ubi vis, ut paremus Pascha? 2. nec à Sacerdote. Et enim Dominus utitur opere à discipulorum suorum ad hoc negotium, neq; 3. comburebatur, sed comedebatur. Dicunt enim discipuli, Ubi vis, paremus tibi φαγεῖν, ad edendum Pascha, contra Beletarm. l. 1. de Miss. c. 7.*

XXIII. *ψ. 18. εἰς τὴν πόλιν, πρὸς τὸν δεῖνα.) Christus comorans in vico Bethaniâ, mittit discipulos suos, Petrum & Johannem, Luc. 21, 7. in Urbem, h. e. Hierosolymam, per ἀντωνομασίαν. (Hoc enim loco mactandus erat agnus Paschalis, quem Deus elegerat, ut habitaret ibi יְהוָה nomen ejus h. e. ipse. Conf. Deut.*

C

Deut.

Deut. 28, 58. Flac. Part. 1. Clav. col. 723. Deut. 6, 2.) ad quendam, *περὶ τὸν δεῖνα*. Gracis sic loquuntur, quoties certum hominem significare volunt, nec tamen nominare, Pas. in Lex. b. v. Suppresit autem Dominus nomen Patrisfamilias, penes quem cœnaturus erat, ne Judas Iscariotes, Pontificibus eum indicando, cœnam maturius impedire, vel ad minimum turbare posset. Theophyl. in b. l. Pol. Lys. Cenc. Pass. 3. p. 26. Marcus & Lucas memorant, Servatorem discipulis suis dixisse: Intro- euntibus vobis, occurret homo, portans, *κρηπίδιον*, (h. e. vas fictile, nam *κρηπίδιον* terram figulare n. significat) aquæ, Luth. notanter, *Einen Wasserkrug*. Sequimini eum &c. Et ostendet vobis Paterfamilias cœnaculum, (*ἀνώγειον*, nam cœnare solebant veteres in superiori œdium parte; undè Festus, cœnacula sunt, ad quæ scalis ascenditur.) magnum, stratum (Camerarius, instructum ad apparatus epularum lectulis nimirum stratis, in b. l. Lutherus, gepflastert. Nam & hanc significationem esse vocis *σπρωγίειον*, quis nescit? Sanè Joh. 19, 13. mentio fit loci, qui dicebatur *λίθος σπρωγίειον*) Quod v. h. l. notetur, cœnaculum anguli *לְפָנָיו לְמִינֵי* Neh. 3. v. pen. mihi non videtur verisimile. Contendant secum otiosi. Repererunt autem Discipuli, sicut dixerat Dominus. Est igitur ex hac historiâ astruenda Servatoris omniscientia, Contra Agnoëtas seu Severitas, vid. Nic. Call. l. 18. c. 50. Hist. Eccl. & Calvinianos, Sobnium Tom. II. Oper. p. 418. Zanchium de Incarn. l. 2. p. 290. Wendelinum Exercit. 57. &c. nec non Jesuitam Becanum p. 3. c. 9. Theol. Schol. quo cum sentit Phil. à SS. Trin. Tom. IV. in Thom. p. 122.

XXIV. *ψλ. eod. Διδάσκαλος*.) Ita dicitur Servator *καὶ ἐξο- χήν*, ut c. 22. vers. 24. Joh. 11, 28. Est enim unus Doctor noster Matth. 23, 8. 10. *καὶ διδάσκαλος*, Dux, qui nos docet vias Dei, Es. 2. 3. Scimus enim, quòd ipse *Διδάσκαλος* ἀπὸ Θεοῦ magister à Deo venerit, non redierit, contra Socinum, pr. el. c. 5. Ostrodum inst. c. 16. qui Christum, priusquam Propheticum munus auspiciatus sit, in cœlum fuisse raptum, ibid., quòd deinceps alios docuit, primum didicisse, falsò asseruat. Quid enim opus fuisset Domino, in cœlum rapi, cum l. c. Joh. 3, 13. astruatur, quòd filius hominis, qui è cœlo descendit, in cœlo sit. Etenim ipse scit literas, *μὴ μεροληπῶς*, quum non didicerit, vert.

vert. Erasmo, contra Sanbedr. C. XI. ubi fingitur, Præceptorem Domini fuisse Josuam Ben Berachæ. Docuit autem Salvator, tum legem, tum Evangelium. Hinc Es. 33, 12. Legifer, & c. c. 61, 1. Evangelista dicitur. Legifer, non, quòd novas leges ferendo, Mosaicam, quæ mutila sit & manca, perfecit, (acquievit namq; in eâ, Matth. 19, 17. seq. conf. Job. 1, 17.) sed quòd præclarè ejus interpretem egerit, contra Pontificios. Vid. Conc. Trid. Sess. 8. c. 21. Bell. l. 4. de Justific. c. 5. Socinianos, Ostorodum Inst. Germ. c. 22. Schmalzium contra Franz. disp. 2. p. 267. & Arminianos. Conf. Apol. c. 12. Ubi tamen omninò distingvendum esse judico, inter ea præcepta, quorum contraria in se, ac intrinsecè, peccata existunt; & inter ea, quorum contraria propter solam legislatoris voluntatem illicita sunt. Posteriori quidem respectu leges, si non simpliciter, tamen & si novas Servator sanxisset videtur, non autem priori. Voluit autem iis, quasi sepimento aliquo vallare Sanctum Naturæ jus, quòd homines eò minùs illud transgredierentur. Hac referenda est lex de abrogando repudii libello &c. Matth. 5, 31. & 32. Imprimis autem Servator missus est εὐαγγελίζεσθαι ad Evangelizandum, Luc. 4, v. 8. non quòd Evangelium cum Christo nato demum inceperit; (nam Rom. 1, 1. & 2. dicitur, quòd Evangelium antè fuerit promissum per Prophetas,) contra Faustum Manicheum. Vid. August. libb. contra Faust. & Socinianos. v. d. Schmalz. contra Franz. p. 99. Sed quòd tunc clarior eius Φανέρωσις extiterit. Hinc dicitur Joh. 1, 17. Lex per Moysen data est; gratia & veritas per Christum exorta est.

XXV. vñ. eod. Ο καιρός ὡς ἐγὼ εἶπα, πρὸς σὲ ποιω̄ τὸ πάσχα) Sciens Jesus, quòd venisset hora, ut transiret ex hoc mundo ad Patrem, Joh. 13, 1. voluit, priusquam transiret, Transitus Festum celebrare. Cùm autem Feria, quâ Christus crucifixus est, Joh. 19, 14. ἡ σάββατον ἔτι πάσχα appelletur, & hinc, ut & ex Joh. 13, 1. &c. conficit, Christum Pascha una cum Judæis non celebrasse, quærere cœperunt Interpretes, undè hæc diversitas ortum suum traxerit, & an Dominus ad normam legis egerit Pascha? Quamvis autem Servator, si in comedendo Paschate tempus legale non observasset, non tamen posset dici transgressor legis; Ipse enim est Dominus Sabbathi Matth. 12, 8.

& factus non sub lege Ceremoniali, contra Cloppenburg. Synt. Sel. Ex-
 exerc. Theol. p. 687. sed morali. Nam Gal. 4, 4 & 5. dicitur, Filium
 Dei factum esse sub lege, ut nos, qui legi eramus obnoxii, redimeret: ex
 quo loco evincere in promptu est: Cui legi omnes homines sunt
 obnoxii; sub illâ lege factus quoque est Servator, Atque non Cere-
 moniali, sed morali &c. E. Verum hæc ὡς ἐν παρρησίᾳ. Ναιμικῶς
 tamen & juxta legem Prescriptum, Dominum Pascha celebrasse, vix vi-
 detur dubitandum. Nam Christus eadem die, quâ crucifixus est,
 comedit quoque agnum Paschalem: crucifixus enim fuit, horâ cir-
 citer duodecimâ; Pascha autem comedit, ὀψίας γενομένης, pres. l.
 v. 20. precedente vesperâ, seu incunte die; incepisse namque Judæos
 diem à vesperâ, suprâ dixi, §. XXI. Dies autem quâ Christus cru-
 cifixus est, fuit FERIA Sexta; Dicitur enim ἀποκριβαστον Marc. 15, 42.
 In Feriam verò Sextam incidit Plenilunium, quod calculus A-
 stronomicus probat. vid. Dn. D. Str. disp. de Pasch. Stavros. hyp. 7. &
 Franckenb. Comp. Chron. Sect. 4. c. 3. can. 1. &c. & quidem post æqui-
 noctium veris primum. Scribit autem Joseph. l. 3. Antiqu. c. 10.
 Mense Xantico, qui nostris Nisan vocatur, Sole Arietem obtinente, Pascha
 instaurare, quæ annis lege jubemur; Cùm igitur Philo notet, l. 3. de
 vit. Mos. p. 530. ex vers. Galenii: quòd sub ipsum tempus, quo
 Luna suum Orbem solet complere lumine, celebretur migratio-
 nis Publica Festivitas, quam Chaldaicè Pascha nominant;
 & Dominus eo die, in quem Plenilunium incidebat, qui & pri-
 mus Azymorum dicitur, Luc. 22, 6. Marc. 12, 12. agnum Paschalem
 comederit, idcirco legale tempus ipsum observasse, dicendum est.
 Huc facit, quod Justinus Martyr Tryphoni objicit, deprehendisse
 Judæos Christum, in die Paschæ & similiter in die Paschæ crucifixisse, de
 ver. Rel. Chr. p. m. 229. Diversitatem autem Christi & Judæorum
 deducit Dn. D. Strauch, securus Gerbardum, Scaligerum, Casau-
 bonum, Münsterum, Jansenium, Marianam, Stoflerum,
 Middelburgensem, Maldonatum, Lucidum, Onufrum,
 Buntingum, Liveleum, quos citat in disp. all. de Pasch.
 savogo. & alios, ex dispositione Calendarii Judaici. Rabbini
 enim, inquit, inter פסח festi, seu tempus ejus è calculo geni-
 tum

tum quasi atq; כביעו seu ipsam indictionem ejusdem festivi
temporis & olim distinxerunt, & in hunc diem usq; eadem di-
scernunt, prohibentes speciatim, ne mensis Tbisri Neomenia
in יריד i. e. fer. 1. 4. 6. & mensis Nisan Neomenia (à qua Pa-
schatos Festum dependet) in יריד i. e. fer. 2. 4. & 6. celebrentur. Tra-
ditionem hanc allegat Münsterus not. ad Evang. Matth. Ebr. c.
26, 2. Ordinavit R. Eliezer, diem sortium non observari fe-
riâ 2. 4. 7. neq; Pascha feriâ 2. 4. 6. neq; diem retentionis, fer.
3. 5. 7. neq; principium anni fer. 1. 4. 6. neq; diem expiationis
fer. 1. 3. 6. in æternum. De cujus Constitutionis ratione vid.
id. 16. Baptista Mantuanus lib. 2. Fast. hæc habet:

*At non prætereo, Christi quòd tempore paschi
Hæc extra depulsa suam solennia lucem,
Misit in auroram demens Judæa sequentem.
Nam quoties Trivia sidus mutabile Festa
In Veneris fert ista diem, Synagoga propinqua
Trajicit in lucem, ne Festa sequentia turbet.*

Judæi igitur, quoniam hoc anno, quo Christus mortuus est, Pa-
schalis Solennitas in fer. Sextam incidit, prorogant eam ad se-
quens usque Sabbathum. Cui sententiæ subscribere nullus du-
bito, cum qui huic adversum tenent, meliorem hætenus nun-
quam attulerint.

XXVI. ψλ. 20. ἀνέκειν μετὰ τῶν δώδεκα) Accumbendi
morem in thoris vel lectulis à longis temporibus usitatum Judæis
fuisse, colligere licet ex Ezech. c. 23, 41. Amos. 2, 8. Luc. 14, 8. habet
κατακλίβειν, quâ voce usi sunt LXXII. vertentes vocem יבדו
1. Sam. 16, 11. Schindl. Lex. Pent. h. voc. Habebant mensas rotun-
das, in quarum circuitu in lectis jacebant, sinistre innixi, ci-
bum capientes. B. Schmidius lectulos, ad formam sigmatos

dispositos fuisse, notat in h. l. Conf. Buxtorf. Lex. Talm. p. 203. 1333. Ca-
Jaubon. Exer. 16. Villalp. ad Ezech. 23, 41. Quod autem hic dica-
tur, Dominum ad edendum accubuisse, cum tamen Deus Pascharos Sa-
cramentum primitus instituens, jussit Israelitas, ut stantes illud
comederent; Hinc statuerunt aliqui, Theophylactum secuti, hanc
cœnam non fuisse Pascharos epulum: Camer. in h. l. Sed Christum
agnum Paschalem cum discipulis stando absumpsisse, & ad reliquam
dinem cœnam accubuisse. B. Gesn. Conc. in Pass. 4. Verùm hic
disertè dicitur; Vesperis, i. e. cum jam esset tempestivum, sc. ut Pascha
ederetur, Luc. 22, 14. discubuisse Dominum cum duodecim. Huc
referenda sunt verba Josephi l. 6. de B. J. c. 31. Non sedebant, sed
discumbebant, agno illo solido cum pan. azymis vescentes. Hinc alii as-
serunt, quòd primo quidem Paschate mandatum fuerit, ut Israelitæ
stantes agnum Paschalem ederent, postea autem licuisse illis discum-
bere. Conf. Struckium Conc. 3. in Pass. Dom. Calvis. Isag. Chron. c. 38.
Sed v. hujus rei nullum in Sacro Codice apparet vestigium.
Optimè autem B. Franz. rem expedit: in toto Textu, inquit,
ne verbum quidem reperitur de eò, quòd fuerint jussi,
stando manducare agnum Paschalem. Hoc quidem contine-
tur, quòd festinanter & gerendo baculos in manibus, debeant
comedere, de Interpr. Scr. Orac. 70. p. 822. Per duodecim
intelliguntur Apostoli Matth. 10, 2. quos Dominus miserat, ut præ-
dicarent regnum DEI, Job. 9, 2. Quod si cui meditari libeat, cur
Christus duodecim, non plures, nec pauciores elegerit, ad hoc mu-
nus obeundum, is accuratâ æstimatione pensitet, c. Apoc. 21, 12. 13.
14 seq. Scilicet, quemadmodum Eccl. sicut V. T. constituebant
XII. Tribus Israel; ita N. T. Ecclesia fundata est in doctrinâ duode-
cim Apostolorum. Inesse autem duodenario aliquid mystici, Sacra
litera sapiùs inveniunt. Quia quemadmodum ex ternario, si qua-
ternario additus fuerit, septenarius oritur, cujus vim & facultates
Geatiles etiam noraverunt. Conf. A. Gell. Noct. Att. l. 3. c. 10.
Cic. in Som. Scip. ita ex ternario cum quaternario multiplicato, con-
ficitur Duodenarius. Licet autem Quantitatis nulla sit efficacia;
(quòd Axioma prodest ad vitandas multas superstitiones. Mel. in Erotem.
Dial.

Dial.) tamen certum est, sapientissimum Numen, omnia fecisse
Pondere, Mensurâ, Numero.

XXVII. ὃ ῥσ. 21. Ἐπιόντων αὐτῶν εἶπεν, Αἰὲν λέγω ὑμῖν ὅτι
εἰς ἐξ ὑμῶν προδώσει με.) B. Aegidius Hunnius existimat, hæc, quæ
de prodicione suâ Dominus differit, dicta esse post peractam jam
cœnam Dominicam, in b. l. Tom. III. p. 567. At enim, cum Evan-
gelistæ recenseant, Dominum hæc locutum fuisse, inter edendum,
Conf. v. 23. cumq; Judas statim post acceptam buccellam, Joh. 13, 30.
surrexerit ad perficiendam prodicionem: Calix autem peracto jam epulo
distributus fuerit, 1. Cor. 11, 25. Idcirco contrarium vero similis.
Neque cum B. Viro l. c. statendum videtur, post cœnam demum, su-
scipisse Dominum lotionem pedum; cum Joh. 17, 17. dicatur Christum
accubuisse iterum. Conf. quæ sequuntur usq; ad v. 27. Faciunt huc
verba Josephi, Peractâ hæc Cœnâ, (loquitur de esu agni Paschalis)
consurgentes, altera pedum ablutione sese rursus discumben-
tes, ad secundas mensas comparabant. l. 6. de B. J. c. 31.
Neq; satis validum videtur argumentum ab Exemplo Judæ deum-
ptum, ad salutatis convincendum rigorem Conciliorum Elibertini &
Arelatensis primi, sub Sylvestro primo celebratorum, Conf. Tom. 1. Act.
Concil. ut & Anabaptistarum, non admittentium ad Sacram Cœ-
nam semel excommunicatos, quamvis seriò poenitentes; cum ex
Historiâ sacrâ dilucidè vix possit demonstrari, Judam Sacramen-
to Cœnæ fuisse usum. Cœterùm verba εἰς ἐξ ὑμῶν usui orthodo-
xis sunt contra scandala Apostatarum. Frustrâ gloriantur Pontificii,
quòd præsentis seculo nemo Principum ad Lutheranos transferit; nonnul-
los tamen intra sinum suum Ecclesia Catholica receperit; quos gloriosâ
hujusmodi se efferentes inducit Monzambano c. 7. de stat. Imp.
Germ. p. 226. Egredi sunt quidam è nobis, (quod d. fiteri non possu-
mus) sed non erant è nobis. Si enim è nobis fuissent, mansis-
sent apud nos, 1. Job. 2, 19. Etenim nobis arrogare nolumus,
quòd nostra Ecclesia melior sit, quàm cohabitatio ipsius Domi-
ni nostri Jesu Christi, in quâ tamen undecim boni perfidum
& furem Judam toleraverunt, Augustin. Ep. 137.

XXLIX.

XXIIX. ψλ. 23. Ο ἑμβάψας μετ' ἐμῶν ἐν τῷ τρυβλίῳ τὴν χεῖ-
 ρα, ὅτιός με ὠδύσει.) Quod hīc Servator, illud Propheta Rex
 prædixit, Ps. 55, 13. Ps. 69, 10. Cum primis autem Ps. 41, 10. Ubi
 verba h. l. *qui manum mecum intingit in catinam*, pronunciat *Psaltes*;
Qui panem meum comedit, h. e. vesci mecum consuevit. Contra
 verò vocem *supplantare*, exponit Dominus hīc *prodere*. Nam
supplantandi verbum de fraudulenta circumventionē sapius usur-
 patur, Conf. *Westhem. de Trop. col. 1172. seq.* Proditio autem semper
 juncta est impiis fraudibus & dolo malo. Hinc in *Expos. Symb.*
 quæ *Cypriano* falsò, rectius *Rufino* inter opera *Hieronymi* ascribitur.
 Conf. *Erasm. in Not. ad D. Cyprian. hīc*, dicitur, *Per molle oculi blan-*
dimentum execrabile proditionis insigit jaculum. Voluit autem Serva-
 tor circumlocutione hujusmodi, notare proditorem suum,
 num fortè corrigere lenitate possit, quem nulla deformatisset abjectio. In
 felix *Juda*, cur tanta benignitate non uteris? Ecce, parcat ausibus tuis
 Dominus, & nulli te, nisi tibi indicat *Christus*. Nec nomen tuum, nec per-
 sona detegitur, sed veritatis & misericordiæ verbo, cordis tantum tui ar-
 cana tanguntur. *Leo Papa Serm. 7. de Pass. Dom.* Paullò tamen
 post apertius significat Proditorem suum Servator, v. 25. Undè
 docemur, cautè agendum esse cum peccatoribus, gradusque ad-
 monitionis observandos, *Matth. 18, 15.* ut ne fama in peccata pro-
 lapsorum maculetur, sed *Conscientia* ipsorum tangatur; non no-
 ce di studium, sed corrigendi desiderium ostendatur. Quod si
 verò leni ordine quis non expugnetur, tunc acrius agendum est, &
 non parcendum, 2. *Cor. 13, 2.*

XXIX. ψλ. 24. Ο μὲν υἱὸς τοῦ θρόνου ἐπάγει, καθὼς γέ-
 γραπταὶ ὄντι αὐτῷ) Seafuse est, Proditor meus clandestinis confi-
 liis me oppugnat, & per amicitia simulationem, in hostium
 meorum manus tradere conatur, sperans, scelera sua clam me fo-
 re. Verùm fallitur. Nam impia ejus facinora prædicta jam
 sunt in *Scripturâ*. Arbitratur, se ad pecunias venturum, me au-
 tem hostium meorum imperus elusurum esse. Verùm fallitur.
 Nam filius hominis vadit, sicut scriptum est, h. e. consummabuntur
 omnia, quæ scripta sunt per *Prophetas*, *Filio hominis*, (h. e. in filio ho-
 minis, ut *Luc. 22, 37.*) Tradetur enim gentibus, & illudetur, & contra-
 melius

melius afficietur, & confuetur. Et postquam flagellaverint, occidant
 eam. Luc. 18, 31. 32, 33. Mibi quidem nihil præter expectationem me-
 am, nec quicquam præter patris mei decretum accidet; Sed vae homini
 &c. Pol. Lys. Conc. 4. in Pass. Dom. p. 62. Vox ὑποδύειν, redu-
 cere sese, ἐκδυσπλάκωσ abire, reverti significat. Opponitur enim
 adventui in mundum, & Joh. 16, 28. exponitur, relinquere mundum, &
 vadere ad patrem. Quomodo igitur Christus exivit à Patre,
 & in carne conspicuus factus est, 1. Tim. 3, 16. ut seipsum exinaniret, Phil.
 2, 7. Ita abeuntem, seu revertentem, Deus Pater glorificavit, Act. 3, 13.
 Verba, sicut scriptum est de eo, viam notant, per quam Christus in
 gloriam suam intravit, nim. passionem & mortem. Nam Luc.
 24, 26. dicitur, Nonne oportuit Christum pati, & intrare in gloriam su-
 am, & ὕ. 46. Sic scriptum est &c. Apparet verò hinc, quanto pe-
 re aberrent Calviniani, qui ex eo, quòd Christum abire dicatur, realem
 ipsum secundum carnem, in his terris præsentiam negant; Cùm Contra-
 rium liquidè hinc possit deduci. Nam quia per abitum, introitum in
 gloriam notatur; humana autem caro glorificata, divinam profecit in
 gloriam, Athan. de Arian. ex quo Cathol. Conf. in App. lib. Conc. p. 851.
 & Deus ubiq; sit, Job. 11, 8. seq. &c. nonne potius hinc astruenda est
 Christi hominis omnipræsentia? Firmo igitur stat talo hæc lo-
 cutio; Christus, qui ex terrâ abiit, in terrâ est; quia Joh. 3, 13. Ser-
 vator ipse dixit: Filius hominis, qui è cælo descendit, in cælo est. Conf.
 omnino Cyrill. l. 11. in Joh. c. 9. Cujusmodi phrasæ absurdæ quidem
 rationi videntur, quod verò minimè mirum. Nam sermo crucis
 iis quidem, qui percutunt, stultitia est, 1. Cor. 1, 18. seq. Contra
 Calvinistas communiter, & Helmstädienses, Hoffmannum, vid. Conc.
 Conc. Hutter. c. 45. 51. 52. Calixtum in Epist. ad Ranzov. & in literis ad
 Seren. Saxon. Elector. nec non Dreierum in der Erörterung. Sed & a-
 lia nobis hîc est controverfia, cum iis, qui exinde, quòd Judæ scelus
 jam in U. T. tabulis scriptum sit; Divinam Præscientiam ad hoc scelus Ju-
 dam adegisse, impiè inferunt. Rectè Origenes Sup. c. 8. ad Rom. Non
 propterea aliquid erit, quia id scit Deus futurum; sed quia futurum est,
 ideò sciturà Deo, antequam fiat. Et Augustin. c. 15. de Prædestin. &
 grat. Dei præscientiam, ait, non cogere hominem, ut talis sit, qualem Deus
 præscivit; sed præscire talem futurum, qualis futurus est, quamvis eum

non sic fecerit DEUM. Et Leo Papa, Non præsciendo, quod faciendum esset, coëgit (Dominus) ut fieret; Cum tamen ad hoc carnem suscepisset, ut fieret, Serm. 16. de Pass. Dom. Contra Calvinianos, quamvis hinc protestentur. Conf. B. Aegid. Hunpinus Ref. Thes. Toss. Tom. 1. p. 669. &c.

XXX. Ὡς eod. Καλὸν ἢν αὐτῶ, εἰ δὲ ἐγεννήθη ὁ ἀνθρώπος ἐκείνῳ.) Positivus pro Comparativo ponitur. Sic enim Græci loquuntur, ut Menander, cit. Glass. Phil. S. l. 3. Tr. 1. cap. 18. καλὸν τὸ μὴ ζῆν ἴσιν, ἢ ζῆν ἀθλίως. Homerus, Il. α. Βέλομ' ἐγὼ λαὸν σόον ἔμμεναί, ἢ ἀπολέσθαι cit. Drusio, l. 1. præf. p. 40. Cui Matth. 18, 8. explicanti, nescio quid in mentem venerit; scribit enim καλὸν non significare ἀμεινον, sed ἀγαθόν, h. e. bonum, & subintelligi μάλλον. Mihi enim tam perspicaci esse non licet, ut dijudicare possim, quid differant ἀμεινον, & ἀγαθόν, subintellectâ voce μάλλον. Lutherus rectè, Es wäre ihm besser / &c. Nulla igitur difficultas hinc fingenda est cum D. Augustino, qui non animadvertit, comparativam hinc esse locutionem, l. 1. Ev. Qq. 9. 40. ubi ait: Quod Dominus de Judâ dixit, Bonum erat illi non nasci, utrum in hanc vitam, ut usitatè locutus sit. Non autem potest bonum esse aliquid ei, qui non est &c. An bonum illi erat, ut in Christo non nasceretur per vocationem, ne esset Apostata? Verum non de regeneratione, sed de carnali nativitate hinc esse sermonem, evidens est. Neque video, quid obstet. Non enim ἀπλῶς & simpliciter malum fuit Judæ, nasci, sed κατὰ τὸ, nimirum propter vā illud, in quod se præcipitavit, quodque Dominus hinc prædicat. Hinc & Ms. Cant. præfigit, Διὰ τὸ τοῦ, cit. Saub. in h. l. Satius autem est, nunquam fuisse, quàm æternūm perire; veluti Sedulius ait:

Sors melior nescire datam quàm perdere vitam.

Cæterum non colligendum est ex his verbis; Satius esse homines non fuisse, quàm ita creatos, ut labi possent. Quis enim es homo, qui ex adverso respondes Deo. Rom. 9, 20. Es. 45, 9. Aderat autem homini sufficiens auxilium gratiæ, quo non solum legem symbolicam de cavendo fructu vetitæ arboris, sed in. moralem, Naturæ insitam, perfectè servare, & in bono perseverare liberè potuisset, August. c. 11. de corr. & grat. Multò minùs obliquè peccata in DEUM referenda. Facit enim Deus bona, cuncta.

ευχαια, quæ facit, & unusquodque ex propria voluntate bonus aut malus fit.
Et si Dominus dixit, melius esset, homini illi, si natus non fuisset, & tñν ἰ-
δίαν κτίσιν κακίζων ἔλεγον, ἀλλὰ τὴν ἐξ ἰδίας προαιρέσεως καὶ ῥαθυ-
μίας ὑπὸ γνομένην κτίσματα αὐτὰ κακία. Damasc. l. 4. Orth. fid. c. 22.
 Contra Eunomianos, Calvinianos, Vid. Zanchius l. 5. de Nat. Dei, c. 2.
 p. 690. Polan. p. 2. Syllog. p. 33. & Bellarminum, l. 2. c. 11. §. accedat
 ultimo. de grat. & Lib. Arb. nec non Gerbardum Job. Vossum, p. 33.
 θ. Theol.

XXXI. ψλ. 26. *εὐλογήσας*) νοκ εὐλογεῖν & vers. seq. *εὐχα-*
ρισεῖν Synonyma sunt; hoc tamen loco non tam significant *gratias*
agere, quàm *benedicere*: quod infert constructio hujus vocis, i.
 Cor. 10, 16. *ποτήριον ὁ εὐλογῶν*, Lutherus rectè, *den Kelch / dem*
wir segnen. Contra Heidelberg. in Catech. & Agend. Eccl. Hemming.
 in 1. Cor. 10, 16. & c. vid. Calv. hic. *Benedicere autem non est, fingere ge-*
stus manû, signum crucis, Erasmi in Marc. 14. Sed notat *κατὰ σκευά-*
ζειν, ut Oecumenius loquitur, h. e. consecrare Panem & Vinum ad
 usum Sacramentalem, ut sint *κοινωνία* corporis & Sanguinis Chri-
 sti. *Benedixit Deus primis parentibus Gen. 1, 28.* hæc quæ benedi-
 ctio effecit, ut quæ sterilis erat, Mater fieret liberorum, Ps. 113.
 vers. ult. *Benedixit Salvator 9. panibus Matth. 14, 19.* & factum
 est, ut saturarentur iis quinquies mille viri, p. 21. *Benedixit hinc*
Dominus pani & vino; fuerunt quæ verba ejus efficacia, ut exhibe-
reantur hisce Symbolis verè corpus & sanguis Christi. Quod Ser-
 vatoris sui institutum sequitur Ecclesia, *εὐλογῶσα panem & vi-*
num l. c. 1. Cor. 10, 10. Verbis quibus Dominus ipse usus est. Nam
 ita iussit; *Hoc facite, sc. quod me vidistis & audivistis facere.* Sub-
 secutis temporibus ante celebrationem Cœnæ Dominicæ Preces
 Psalmicæ; recitati, & Præfatio, Sursum Corda &c. decantata fuit,
 quod patet ex Scriptis Bb. Pp. Conf. Just. Mart. Orat. ad Anton. Pium.
 Chrysosth. Hom. 18. in 2. Cor. 8. Canon. Basil. &c. j. Si placet de Conf.
 dis. 2. c. quotidie. c. quotiescumque. c. Si non sunt &c. Nostrarum Eccle-
 siarum Ministri consecrant Eucharistiam more Apostolorum.
 Disertè enim Paulus, 1. Cor. 11, 23. *Accepi à Domino, quod tradidit*
vobis: Dominus noster Jesus Christus &c. Contra Erasmus, qui igno-
 rare se fatetur, quibus Veteres verbis Eucharistiam consecrârunt, l. c. in
 Marc. 14. Sed & adhibent precem Dominicam, quam Aposto-

los adhibuisse scribit Gregor. M. ep. 7. ad Johann. Episc. Syracus. Nam
1. Tim. 2, 7. dicitur, ante omnia fiant deprecationes, obsecrationes &c.
Cæterum autem damnant impios Minorem & Majorem Canones in
Missæ Pontificiæ celebratione adhiberi solitos. Contra Interim
Aug. 1558. promulgatum.

XXXII. ὕλ. eod. ἐκλασιν.) Judæos istiusmodi panibus
fuisse usos, qui facile frangi potuerunt, ex Sacro Codice passim
colligere est; Judæorumq; libris dispersè quædam de more fran-
gendi panem inserta sunt. Conf. Münst. in Evang. Matth. Ebr. p. 368. Fre-
git igitur Dominus panem, non ut præfiguraret fractionem corpo-
ris sui in cruce; Nam agnus Paschalis Typum Servatoris gesit, qd.
non frangeretur, Exod. 17, 46 Num. 9, 12. Conf. Joh. 19, 33. 36. Contra
Calvinistas, Scultetum in Post. Conc. Pæf. 3. Paræum l. 2. de Rit. Fract. c. 8.
can. Instit. a. 48. q. 27. p. 66. &c. Sed ut distribuere posset. Prioribus
seculis in Ecclesia offerebantur ei, qui fratribus præerat, integri panes.
Just. Martyr. Orat. ad Ant. Pium p. 1. p. m. 179. iisq; grandiusculi, quos
frangi oportuit, ut unicuiq; præsentium potuerit portio porrigi. Post-
modò v. defuisse videtur frangendi mos inter Dominicæ cœnæ cele-
brationem; Nam Cyprianus, qui tertio post C. N. seculo floruit, ita
scribit; *Universa Ecclesia ad has epulas invitatur, æqua omnibus portio
datur, integer erogatur &c. Serm. de Cœn. Dom. p. m. 448.* quanquam
manserit ritus offerendi. Nam Chrysanthus, Novarianorū Constan-
tinopoli Episcopus, anno circiter p. C. N. 400. ab Ecclesiis nihil ac-
cepisse dicitur, nisi singulis diebus duos panes ex collectis. Socrates,
l. 7. c. 12. Hist. Eccl. Ab hoc offerendi ritu, placet intulæ in nostris Eccle-
siis adhiberi solitæ, *Hostiæ seu oblatæ dicuntur.* Quas mirum in modum
exagitant Calvinistæ, iisq; abrogatis alium panem substituunt vul-
garem, quem frangunt. Sed quamvis suo sensu quemvis abundare
facile patiamur, (quemadmodum Hieronymus in Apol. adv. Jovin. scri-
bit, neq; probans, neq; reprehendens consuetudinem eam, quæ Romæ erat, ut
fideles corpus Domini singulis diebus acciperent,) modò omnia fiant καὶ
τὸ ξιν καὶ ἐν χειμῶνος, 1. Cor. 14, 40. neq; scandalum præbeat infirmis;
Rom. 14, 13. tamen non video, quid nostris in panibus desiderari pos-
sit. Non substantia; Nam constat ex aquâ & farinâ, quod ipse fate-
tur Bucanus in Censurâ lib. anglic. cit. B. Balduino in 1. Cor. 11 p. 594. Non
video, quid possit in descriptione hujus panis reprehendi, aut desiderari; nisi
forsan aliqui requirant spissiorē &c. Non fermentum. Nullus n. Lati-
norum

norum Pp. Institutum *Alexandri I. Romanorum Episcopi* taxavit, qui primus oblationem ex *Azymo* iussit fieri. *Plat. in Vit.* Non *quantitas*. Nam in *Canon. Niceno*, parum dicitur sumi. Apud *Paschasium mica*, c.17. de *Corp. & Sang. Christi*. Apud *Cyprianum Serm. de Cæn. Dom. & Tertullianum l. de Monogam. buccella &c.* Non *Figura*. Nam *rotundi panis* meminit *Epiphanius in Ancorato p. 562. & Greg. l. 4. Dial.* Vid. *B. Balduin. l. c.* & ipsum *Zanchium, l. 1 Ep. T. 8. col. 162.*

XXXIII. ψ l. eod. $\tau\acute{\alpha}\tau\omicron$ ἐστὶ τὸ σῶμα $\mu\epsilon$.) Particula $\delta\epsilon$ $\iota\upsilon\chi\eta$, $\tau\acute{\alpha}\tau\omicron$, notat totum complexum, quod exhibetur; nim. Corpus Christi, pani sacramentaliter unitum: Estq; hæc propositio non *vulgaris & Logica*, contra *Keckerm. System. Theol. l. 3. p. 363.* quem *Bucanus*, quanquam gregalis, redarguit *l. 489. 66. p. 681.* Sed *Sacramentalis*, qua propter *Sacramentalem Unionem Prædicatum affirmativè* de *subjecto* dicitur. Nam quemadmodum hæc propositio; *DEus est homo*; non explicanda est more *Eutybianorum*, quasi una sit Christi natura, ex *carnis ac DEitatis substantiâ* conflata; sed quod *Divina & humana nature in Christo personaliter unitæ sint*: ita hæc *Enunciatio*, *Hoc est Corpus meum*, non facit ad *asserendam Pontificiorum Transubstantiationem*; Nam *Apostolus Paulus* exponit eam, *Panis est communicatio corporis Christi, I. Cor. 10, 16.* Contra *Concil. Trid. sess. 13. in Decr. de Sacra. Euchar. c. 4. & can. 2. Bell. l. 3. de Sacram. Euchar. c. 18. l. 3. Col. 615.* qui frustra ad *Antiquitatē* provocat: Quomodo enim locutiones *Bb. Pp.* intelligendæ sint, docet *Iust. Martyr*, quemadmodū per *verbum DEI caro factus* *Jesus Christus*, &c. ad eundem modum etiam hanc *alimoniam &c. incarnati illius Jesu carnem & sanguinem esse edocti sumus.* *Orat. ad Ant. Pium, p. 280.* & *Cyprianus*, *Panis iste*, quem *Dominus discipulis porrigebat*, non *effigis*, sed *natura mutatus*, *omnipotentia verbi factus est caro*, & sicut in *Personâ Christi humanitas videbatur*, & latebat *divinitas*: ita *Sacramento visibili ineffabiliter divina se infudit Essentia.* *Serm. de Cæn. Dom p. 445.* Quid dici posset clariùs, quid cum *orthodoxâ doctrinâ* magis consonum? Undè & appâret, hæc *propositionem* non esse *Tropicam* aut *figuratam*. Scilicet *Tropus* non debet *frangi*, ubi *litera est manifestæ veritatis*; contra *Calvinistas* communiter, qui partim *Tropum in copulâ* constituent, ut *Zwinglius Tr. 3. de Cæn. Dom. Vol. 2. Oper. f. 289.* partim *Prædicatum, Corpus*, exponunt *signum Corporis.* *Calvinus* quidem *Comm. in I. Cor. X.*

Cor. XI. p. 196. intelligere se, scribit, Signum non nudum sed Symbolum exhibitivum &c. Verum fucum facere simplicioribus annitur, quamvis sine fuce egisse, videri velit. Hinc mirè se torquet. Quem tamen ejusq; Affectas, post egregia nostratum scripta Theologorum, cum primis B. Lutheri, daß die Worte Christi noch feste stehen &c. & Summè Reverendi Domini Præsidis, Stereom. contra Bergium &c. prolixius refutare, esset, quod dicunt, post Homerum Iliada scribere.

XXXIV. Ps. 28. Τῆτο, ἐστὶ τὸ αἷμα μου, τὸ τῆς καινῆς Διαθήκης.) Particula τῆτο, ut supra, notat totum Complexum h. e. vinum Sangvini sacramentaliter unitum. Cæterum sensus hujus locutionis facilis est. Scilicet fecerat olim divinum Numen fœdus cum Patribus Act. 3, 25. ut nulla fieret remissio, sine profusione sangvinis. Ebr. 9, 22. Jam nunc Dominus Novum Testamentum conciliat; ut Sangvis Jesu Christi, pro nobis effusus in remissionem Peccatorum, hic purget conscientiam nostram, l. c. Ebr. 9, 14. Quemadmodum igitur sangvis vitulorum & hircorum, dicitur sangvis Testamenti, quod Dominus cum Israëlitis pepigerat, Exod. 24, 8. ita Christi Sangvis appellatur Sangvis Novi fœderis. b. l. Lucas & Paulus hanc propositionem ita efferunt: *Hic Calix est N. T. in meo Sangvine;* quæ paullo involutior. Sic autem exponenda: *Calix*, Cotinens pro *Contento* ponitur, ut *1. Cor. 10, 21. c. 11, 26.* Sic *Jerem. 49, 12. &c. Novum Testamentum*, Effectus pro Efficiente dicitur, ut *1. Job. 5, 4. Victoria*, quæ vincit mundum, fides h. e. causa, Instrumentum victoriæ. *Luc. 15, 12. Divisit illis vitam*, h. e. opes, quibus sustentatur vita &c. Sic *b. l. N. T. i. e. basis fundamentum, sustentatio N. T.* Sensus igitur est; *Hoc quod ex calice bibitur*, (nempe Vinum, cui Sangvis meus sacramentaliter unitus) est *basis N. T. quia in Sangvine meo N. Testamentum fundatum est.*

XXXV. Ps. 29. Ὅταν αὐτὸ πίνω μεθ' ὑμῶν καινὸν ἐν τῇ βασιλείᾳ τῆς πατρὸς μου) ut verus sensus eruatur, inquirendum est, (1) quid per *regnum Patris*, & (2.) deinde, quid per *vocem καινὸς* intelligatur. I. Quoad *Primum*, sciendum, triplex statui *Regnum DEI*, *Potentia*, *Gratia* & *Gloria*. Illius membra sunt omnes *Creaturæ*; istius soli in his terris *fideles*; hujus, æternum *beatum*. Illa finito seculo desinent; hoc incipiet. Liqvet ergò hinc (1) per *regnum Patris* non intelligi neq; *Regnum Potentia*, neq; *Gratia*; (: utrumq; enim præsens jam aderat, Servator autem futura prædicat; Voxq;

Voxq; $\pi\acute{\iota}\nu\omega$ Futuri significationem habet, quod palam est. Conf. *Glasf. Phil. S. l. 3. Tr. 3. Can. 48.* Hinc & *Curc.* legit $\pi\acute{\iota}\nu\omega$ & *M.S. Cant. $\pi\acute{\iota}\omega$* :) Sed gloria: quod innuit vox *Patris. Regnum* sc. *Patris* est, quod *Christus tradet Patri suo*, *1. Cor. 15, 24.* Hoc verò est *regnum gloriae*: opponitur enim huic vitæ, *l. c. $\psi. 19.$* (II.) Non notari hinc *statum gloriosæ Christi resurrectionis*, *Münst. in b. l.* Nam 1. ex *Bb. Evangelistarum* scriptis probari non potest; Christum post resurrectionem suam bibisse. Neq; hoc colligere est ex *Act. 10, 41.* Nam quod dicitur, $\mu\epsilon\tau\grave{\alpha}\ \tau\acute{o}\ \acute{\alpha}\nu\alpha\sigma\tau\eta\nu\alpha\iota\ \acute{\alpha}\upsilon\tau\acute{o}\nu\ \epsilon\kappa\ \tau\acute{\omega}\nu\ \nu\epsilon\kappa\rho\acute{\omega}\nu$, non est referendum ad verba, (*qui comedimus cum illo*) sed cum proximè præcedente versu connectendum; ut sensus sit, *DEus suscitavit Jesum, & exhibuit eum, ut manifestus fieret, postquam ex mortuis resurrexit, non toti populo; sed nobis, qui comedimus ac bibimus cum illo, sc. priusquam moreretur.* Et (2) *l. c. 1. Cor. 15, 24.* dicitur, *Christum Patri suo esse traditurum regnum*, non post resurrectionem suam, sed post finem huius seculi &c. II. Vox $\kappa\alpha\iota\nu\acute{o}\varsigma$ explicanda est ex *Es. 65, 15. 2. Pet. 3, 13. Apoc. 21, 1.* Ubi dicitur, *DEum creaturum esse cælum novum & terram novam.* Nam *cælum & terra transibunt*, *l. c. 2. Pet. 3, 10.* h. e. *mutabuntur* *Pf. 102, 26.* *DEus autem omnia nova faciet*, *Apoc. 21, 15.* Quemadmodum igitur *Terra nova* futura est; ita *novas nova terra plantas feret*, Conf. *Apoc. 22, 2.* & per consequentiam *novi quoq; erunt fructus vitis.* Ut adeò non videam, quid obstat, si $\kappa\tau\ \rho\eta\tau\acute{o}\nu$ explicentur hæc verba: *Quando possidebitis regnum, quod paratum est vobis*, *Matth. 25, 34.* *tum bibam vobiscum super mensam meam*, *Luc. 22, 30.* *vinum, quod tulit vitis terræ novæ.* Et si nemini litem movere velim, qui per *vinum novum*, *gaudium cælesti intelligit* &c. Hoc certum est, quòd *non oculus viderit, neq; auris audivit, neq; in Cor hominis ascenderit, quæ DEus preparavit diligentibus se* *1. Cor. 2, 9.* *Expectamus igitur*, *2. Pet. 3, 13.* quod æstimare non possumus.

XXXVI. vs. eod. $\kappa\alpha\iota\ \upsilon\mu\acute{\nu}\iota\sigma\alpha\upsilon\tau\eta\varsigma$) vox $\upsilon\mu\acute{\nu}\epsilon\iota\nu$ est ab $\upsilon\delta\epsilon\iota\nu$, quod *celebrare, laudare, canere* significat. Interpres Ebræus habet; $\text{וְבִשְׂנֵאתָ - תְּהַלְלֵהָ אֲמַר}$, *Vulgatus, hymno dicto, Lutherus, da sie den Lobgesang gesprochen hatten.* Hinc *B. Gerb.* *Quia $\upsilon\mu\acute{\nu}\epsilon\iota\nu$ significat in genere, gratias agere, laudare, hymnum dicere*, *Ebr. 2, 12.* *ideo non potest ex eo firmiter probari, quòd Christus hymnum illum decantavit; Harm. Evang. Pass. c. 1. p. 8.* Plerunq; tamen significat *canere,*

nere, Conf. Eph. 5, 19. Col. 3, 16 Burgenfis in Pf. 112. Hic Psalmus; scribit, cum quinque sequentibus, usque ad Psalmum; Beati immaculati, exclusivè, vocatur ab Ebraeis Halleluja magnum h. e. hymnus magnus, &c. quem in nocte Paschæ, quando agnus Paschalis comedebatur, post ejus comestionem recumbentes ad mensam, solenniter dicebant. Unde hoc hymno, ex istis sex Psalmis composito, intelligi debet, illud quod imminente passione Matth. 29. legitur hymno dicto exierunt &c. Quod probabile. Verbum enim plurale ὑμῶν αὐτῶν refutat tūm opinionem Bedæ in b. l. qui per hymnum preces Christi Job. 17. intelligit, cit. B. Gerh. l. all. tūm sententiam Job. de Cartagenâ, qui Christum non hymnum dixisse, ut gratias ageret, sed ut gratularetur DEO ob instans Passionis tempus, existimat, l. 10. Hom. 3. de Pasf. Dom. Ceterum hoc exemplum multa habet, quorum debemus imitatores existere. I. audiant omnes, qui quasi porci, quum jam comederunt, eversâ calcibus mensam temulenti consurgunt, quum agere gratias deberent, & in hymnum à mensâ devenire. Chryf. Hom. 83. in Matth. Conf. Tertull. in Apol. c. 39. II. Æquum est, ut uno ore & concorditer laudemus DEUM; Quod non faciunt Pontificii, qui in conventibus suis Ecclesiasticis, linguâ utuntur peregrinâ, quam plerique non intelligunt. Quomodo igitur idiote dicere possunt Amen. 1. Cor. 14, 16. Contra Bell. l. 2. de V. DEI c. 15. & 16. Adq; idcirco è nostris Ecclesiis, iis in locis, ubi nullus auditorum, aliquam Latinæ Lingvæ cognitionem habet, Cantiones Latinæ meritò exulare jussæ sunt. Lege tamen. B. Bald. in 1. Cor. 14, 9. 5. p. m. 744. 745. III. Gratias agamus DEO πάντοτε semper 2. Thes. 1, 3. etiam in periculis constituti. Nam Christus ὑμῶν ἰνσταντε morte suâ. Sic Cyprianus Serm. de lapsis 5. p. m. 215. Agere gratias, nostra vox nec in persecutionibus cesavit. Basilius Serm. de grat. action. p. m. 124. Nos quoq; finientes, gratias agimus DEO & Patri Domini nostri Jesu Christi, 2. Cor. 1, 4. ita ut dignum est, 2. Thes. 1, 3. pro gratiâ, quæ data est nobis in Christo Jesu, 1. Cor. 1, 4. procidentes ante sedentem in Throno, & adorantes viventem in secula seculorum, atq; sine fine dicentes: Dignus es, Domine DEUS noster, accipere gloriam & honorem & virtutem, Apoc. 4, 10. & II. Tibi benedictio, honor, & gloria, & Potestas in secula seculorum

c. 5, 13. Amen.

T A N T U M!

Datum der Entleihung bitte hier einstempeln!

10

